Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS,

ELECTA

DE

ADITIONE HEREDITATIS

EX

IVRE ROM. ET PATRIO

ILLVSTRATA SISTENS.

QVAM

IOVA IVANTE

EX DECRETO

MAGNIFICI ICTORVM ORD.

IN ILLVSTRI

ACADEMIA LVDOVICIANA

PRO

GRADV DOCTORALI

RITE CONSEQVENDO

D. OCT. MDCCXXXIII.

PVBLICO PROCERVM ACADEMIAE

EXAMINI SVBMITTIT

IO. CASPARVS GOETHE,

MOENO-FRANCOFVRT.

GIESSAE, TYPIS ED. H. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.

BIBL. VNIVERS. GIESS.

Fr. jur. civ.

VIRIS.

NOMINVM. CELEBRITATE.

MVNERVM. SPLENDORE.

ERVDITIONIS. GLORIA.

RERVM. GERENDARVM. PRVDENTIA.

MERITIS. IN. IMPERIVM. ET. PATRIAM.

ILLVSTRIBVS. GENEROSISSIMIS.

CONSVLTISSIMIS.

INCLYTAE. REIPVBLICAE. MOENO. FRANCOF.

PROCERIBVS. SPECTATISSIMIS.

PRAETORI.

CONSVLIBVS.

SCABINIS. SYNDICIS.

SENATORIBVS.

QVORVM. VIRTVTE. PATRIAE. DECVS.
SVSTINETVR.

VIGET. IVSTITIA. FLORET. SALVS. CIVIVM.
ET. SPES. BONARVM. MENTIVM. EXCITATVR.

PATRONIS SVIS

OMNI. HONORIS. CVLTV. VENERANDIS.

ET. QVIBVS. MAXIME. RATIONEM. STVDIORVM.
SVORVM. REDDENDAM. ARBITRATVR.

IN.

IN. PIETATIS. ENIXISSIMAE. DOCVMENTVM.
IN. DEMISSISSIMI. CVLTVS. TESSERAM.
IN. ANIMI. DEVOTISSIMI. PIGNVS.

TANTORVM. VIRORVM.

HVMANITATE. CONFISVS.
NON. NISI. VENIAM. PRO. LAVDE. PETENS.
PRIMOS. HOSCE. INDVSTRIAE. FRVCTVS.
SOLENNI. VETERIS. LATII. FORMVLA.

DAT. DICAT. DEDICAT.

ET. PRO. PATRIAE. FORTVNA.
PRO. SENATVS. INCOLVMITATE.
PRO. PATRONORVM. SALVTE.
VOTA. NON. QVINQVENNALIA. AVT.
DECENNALIA.
SED. PERPETVA. NVNCVPAT.

TANTORVM. NOMINVM.

CVLTOR. HVMILLIMVS. OBSERVANTISSIMVS.
IOAN. CASP. GOETHE.

ANA-

ANACEPHALAEOSIS
eorum,
quae in Capite primo huius Diſſertationis tractantur.

§. 1. *Introitus deſumptus a modo acquiſitionis.*

§. 2. *Acquiſitio vniuerſalis & ſingularis.*

§. 3. *Ordinis ratio exponitur.*

§. 4. *Quid aditio hereditatis? Quotuplex? Aditionis ſpecies generatim explicantur.*

§. 5. *Quid Cretio? Quid Cretio libera? Quid Cretio vulgaris?. Quid continua? Quid perfecta? Quid imperfecta?*

§. 6 *Iura Cretionis vlterius illuſtrantur? Quid ſint actus legitimi?*

§. 7. *Quid aditio ſimplex?*

§. 8. *Quid ſit pro herede geſtio?*

ANACEPHALAEOSIS.

§. 9. *Quid heres neceſſarius? Qui ſui & neceſſarii?*

§. 10. *Sui heredes ſunt*
α) *Liberi.*
β) *an & Venter?*
γ) *an nepotes & nepotes poſthumi?*
δ) *An Adoptini?*
ε) *An legitimati?*

§. 11. ζ) *An uxor inter ſuos heredes referenda?*

§. 12. *Quid immixtio?*

§. 13. *Aditio requirit ſcientiam delatae hereditatis*

§. 14. *An per alios hereditas adiri queat? An per ſervos? An per filiosfamilias?*

§. 15. *Num tutor adire poſſit? Num curator furioſi? Num Prodigus?*

§. 16. *De muto & ſurdo hereditatem adeuntibus.*

§. 17. *An per Procuratorem adiri queat hereditas?*

§. 18 *Singularia quaedam de Procuratore Caeſaris in adeunda hereditate.*

§. 19. *Municipia adire poſſunt hereditatem.*

§. 20. *Quaedam de Collegiis heredibus inſtitutis.*

§. 21. *Quis pro Eccleſia adeat hereditatem?*

§. 22. *Quomodo hereditas Diis relicta adeatur?*

§. 23. *An ſub conditione adiri queat hereditas?*

§. 24. *An hereditas pro parte adiri valeat?*

§. 25. *An heres cogi poſſit ad adeundam hereditatem? Metu coactus heres efficitur.*

§. 26. *Aditio hereditatis nec forum competens, nec alias ſolennitates requirit. Quomodo B. P. agnoſcenda?*

§. 27. *Geſtio pro herede exemplis illuſtratur. An ex aditione partis tota hereditas adita cenſeatur? Num heres conditioni teſtamento adiectae parendo pro herede ſe geſſiſſe videatur?*

§. 28.

ANACEPHALAEOSIS.

§. 28. *An ex omiſſione heredi tatis, pretio accepto facta, praeſumatur pro herede geſtio? Varia pro herede geſtionis exempla enarrantur. Quis probet geſtionem?*

§. 29. *Heredi adituro competit ſpatium deliberandi.*

§. 30. *De beneficio inuentarii.*

§. 31. *Effectus inuentarii non confecti. An heres, etiamſi inuentarium confecerit, caſus fortuitos ferre teneatur?*

§. 32. *Praeſcriptio iuris adeundi.*

§. 33. *Sententia interpretum de praeſcriptione.*

§. 34. *Refutatur opinio ius adeundi anuuo ſpatio excludens.*

§. 35. *Vera ſententia de praeſcriptione exponitur.*

§. 36. *De effectibus aditae hereditatis generatim. Hereditas ſemel adita repudiari iterum nequit.*

§. 37. *Variae concluſiones inde deductae notantur.*

§. 38. *De reſtitutione in integrum contra aditionem.*

§. 39. *Aditio habet vim contractus.*

§. 40. *Aditio, quae iura non tribuat?*

§. 41. *An poſſeſſio in ſuum heredem ipſo iure tranſeat?*

§. 42. *Obligatio heredis ex defuncti delicto.*

§. 43. *An actiones poenales in heredem tranſeant?*

§. 44. *An heres teneatur ex dolo defuncti in contractu admiſſo?*

§. 45. *An heres agere poſſit ex delicto contra defunctum commiſſo?*

§. 46. *Aditio operatur confuſionem.*

§. 47. *Heres an poſt aditionem poſſeſſionem hereditatis propria auctoritate apprehendere poſſit? Quatenus remedium ex l. f. C. de Edict. D. Adrian. toll. cum Interd. Quor. Bonor. conſpirat?*

§. 48. *Hereditas non adita non transmittitur. Quae fuerint caduca?*

§. 49. *Transmissio hereditatis in heredes ex iure suitatis.*

§. 50. *Transmissio Theodosiana.*

§. 51. *Transmissio iuris deliberandi.*

§. 52. *Num vera sit transmissionis species, quae in l. 18. C. d. I. D. occurrit, disquiritur.*

§. 53. *De transmissione hereditatis mediata.*

§. 54. *Aditio tollit substitutionem.*

§. 55. *De commodis & oneribus hereditariis. Retrotrahitur aditio ad tempus mortis. Operatur ius accrescendi. Obligat heredem aeri alieno.*

ANA-

ANACEPHALAEOSIS

eorum,

quae in Capite ſecundo huius Diſſertationis tractantur.

§. 1. *Tranſitus ad vſum adi. tionis hereditariae in Germania. Sententia de vſu Iur. Rom. generatim exponitur.*

§. 2. *An aditio iure Saxonico requiratur?*

§. 3. *Ius ſuorum heredum an in Germania receptum?*

§. 4. *Specialia de vſu iuris ſuitatis.*

§. 5. *Vlterior de vſu iuris ſuitatis moderno illuſtratio. Iure Francofurtenſi ſui ac emancipati pari paſſu ambulant.*

§. 6. *Cui immixtionis probatio hodie iniungitur?*

§. 7. *An iure Germanico poſſeſſio ipſo iure tranſeat?*

§. 8. *Exempla poſſeſſionis ipſo iure tranſeuntis.*

§. 9.

ANACEPHALAEOSIS

§. 9. *Germani post trigesimum adeunt.*

§. 10. *Quo tempore iuri adeundi apud Germanos praescribatur.*

§. 11. *An aditio necessaria heredi pactitio?*

§. 12. *Num ius deliberandi valeat Iure Germanico?*

§. 13. *An beneficium inuentarii valeat iure Germanico? An necessaria obsignatio?*

§. 14. *An requisita Iuris Romani circa inuentarium recepta?*

§. 15. *Forma Inuentarii Iure Rom. praescripta, vbi hodie obseruatur? An heres dolose quaedam subripiens beneficio Inuentarii excidat?*

§. 16. *De vsu iuratae specificationis. An heredis heres specificationem iuratam edere teneatur?*

§. 17. *An iure Germanico Creditoribus heres in solidum teneatur?*

§. 18. *Iure Saxonico hereditas adita repudiari potest.*

§. 19. *An & quatenus moribus heres ex defuncti delicto obligetur?*

§. 20. *Heres occisi testatoris necem non vindicans hodie se indignum haud reddit hereditate.*

§. 21. *De vsu l. 7. ff. de Reg. Iur. in foris Germaniae.*

§. 22. *Aditionis effectus relatiue commemorantur. Vasallus succedens facta anteces. soris praestare non tenetur. Exceptio I. Excepsio II. An ob defuncti cambium impositio personalis arresti in herede locum habeat? Quid in Saxonia? Quid Iure Magdeburgico?*

§. 23. *Iure Francofurt. hereditas non adita transmittitur.*

§. 24. *De Decima hereditatis iure Patrio exsoluenda.*

I. N. I.

I. N. I.

De

Aditione Hereditatis ex Iure Romano.

CAPVT I.

§. I.

Introitus deſumtus a modo acquiſitionis.

REcte VLPIANVS *in l. ſ. ff. de LL.* ius, quo gaudent ciues in patrimonio, conſiſtere, ait, aut in *acquirendo*, aut in *conſeruando*, aut in *minuendo*. Singula haec fuſius perſequi inſtituti ratio non permittit; nec quicquid de acquiſitione rerum iuriumque ſanxerunt Quirites, proferam in medium, ſed ea ſaltim praemittam, quae ad thematis noſtri illuſtrationem pertinent, eique lumen afferre queunt. Scilicet in acquiſitione, quam Interpretes deriuatiuam appellant, leges LATII ita procedunt, vt cauſam, quam cum VLPIANO *in l. 13. §. 1. ff. de hered. pet.* *titulum* vocare ſolemus, *a modo* diſtinguant. Et

tituli voce factum obligatorium intelligunt, quod perſonæ obligationem producit, & vera dominii cauſa, ſeu baſis v. *l. 24. C. de rei vind. l. 22. C. fam. herciſc.* & legitimae poſſeſſionis initium dicitur; per modum vero acquirendi ipſiſſimam iuris reique translationem, & antecedentis promiſſionis implementum ſignificarunt. Ille facultatem ad petendam rei translationem, hic ipſum ius corpus vel ſubſtantiam afficiens tribuit, quem diſtinctiſſimum effectum barbaris notionibus *Iuris in re* & *ad rem* ICti denotarunt. Inde enata traditionis & vſucapionis neceſſitas in acquiſitione dominii, quod ſatis innuit *l. 20. C. de pact.* & *§. 40. Inſt. de rer. diuiſ. &c.* Inde ſolennia mancipationis & ceſſionis & ipſae etiam aditionis hereditatis & cretionum formulae profluxerunt. Non placet haec Romani Iuris dogmata ad regulam legum naturalium exigere, quod iam executus eſt PVFENDORFIVS *Lib. IV. c. 9.* modo notemus, in quibusdam caſibus leges a ſe ipſis velut diuortium feciſſe, & ipſo iure dominia aliaque iura citra traditionis actum quibusdam addixiſſe, quod ſatis abunde eluceſcit ex *l. 64. ff. d. furtis, l. 80. d. leg. 2. §. f. Inſt. de oſſ. Ind. l. 14. de Public. l. 63. ad Sctum Trebell.*

§. II.

Acquiſitio vniuerſalis & ſingularis.

Vt vero propius accedamus ad rem, vlterius notamus acquiſitionem ex ſententia non ſolum Quiritum, ſed Iuris naturalis etiam aliam eſſe *vniuerſalem*, aliam *ſingularem*, vtramque vero vel ad actus inter viuos contingentes, vel mortis cauſa ſuſcipiendos referri. Vniuerſalem, ſeu quae fit notante *§. fin. Inſt. per quas perſ.* per vniuerſitatem, & quae ſola ad diſſertationē noſtram ſpectat, dicimus, qua

qua in omnia alterius bona & res tam in dominio, quam obligatione positas, adeoque in commoda & onera succedimus, & personam antecessoris vnitate morali repraesentamus, & eo maxime iuris effectu a singulari differt, quod haec ius non nisi rem translatam respiciens transferat; illa vero ex quocunque facto antecessoris obligationem inducat. Vtriusque modos e veteris LATII reliquiis, nouique iuris, quod a Iustiniano nomen habet, latifundiis collegit expositque CONTIVS *Disp. L. II. c. 12.* nobisque, ne ea defungamur opera, otium fecit. Aggrediemur potius palmariam vniuersalis acquisitionis speciem; hereditatem, qua siue ex vltimo morientis elogio, & velut sancita lege domestica, vel ex Iuris prouisione; vel, vt ferunt mores Germaniae, ex pacto successorio in vniuersum ius defuncti succedimus. Id enim velut mortalitatis solatium mortalibus, viuere in heredibus superstites, & dum beneficia nobis non profutura diuidimus, signare tabulas, & vicaria heredis opera vti. Vti vero nimis forte soliciti & satis anxii erant Romani in determinandis successionum rationibus; ita rectissime videntur *Delationem iuris hereditarii* ab ipsa *Acquisitione* distinxisse, secuti & prudentiae, & aequitatis regulas, ne iniusta esset alieni patrimonii inuasio, aut inuito acquiratur. Modum acquirendae hereditatis stylo veteris LATII *Aditionem* dicere solemus, qua animum suscipiendi patrimonii declaramus. Nititur ergo mutua consensione ius successionis, indeque vim ac robur accipit, nisi quos lex ex gratitudinis vinculo inuitos obligat ad adeundum.

§. III.

Ante vero quam Aditionis hereditariae indolem plenius

Ordinis ratio exponitur.

nius excutiamus, ſuſceptae diſſertationis ratio paucis exponenda eſt. Laborat Iurisprudentia noſtra Patrii & peregrini iuris inſigni diuortio. Nec Romani Iuris, quod adoptarunt in ſubſidium maiores noſtri, ſatis expedita eſt ratio, adeo, vt ei, qui in illo explicando feliciter progredi cupit, antiqua ſubinde cum nouioribus ſancitis componenda, & haec ex illis explicanda veniant. Adde, quod nec fori vſus ſemper ſibi conſtans notare iubeat deuiationes a regula, quae, niſi cautius ſeparentur non poſſunt non diſſertationem noſtram efficere confuſiſſimam. Quod vt euitemus, CAP. I. Ius adeundae hereditatis ex fontibus legum ciuilium deducemus, idque cum primis dabimus operam, vt, quae aditionis *indolem* & *effectum* ſiſtunt, colligamus, collecta probemus, probataque ad euidentes concluſiones transferamus, nec ea prorſus negligamus, quae a praeſenti vſu remota antiqui LATII videntur redolere fabulas. Latent enim in his ſaepius inſignia prudentiae documenta. His CAP. II. ſubiungemus vſum Iuris Germanici, eaque cum primis ſeligemus, quae dubia videbantur, & diſcuſſione digna, ſedulo ea, quae ex regulis prudentiae generalioribus in Ius Ciuile deducta, ab illis diſtinguentes, quae propria Romanis, nec adeo, niſi probato vſu, in forum admiſſa cenſentur, adiectis hinc inde, quae planiores reddunt Patrii Iuris deciſiones, digreſſionibus.

§. IV.

Quid Aditio? Cum ergo adire hereditatem ſit deliberato animo eandem ſuſcipere, & verbis factisque commoda & onera patrimonii vacantis acquirere, atque adeo defuncti dominium continuare, aut monente CVIACIO *Lib. VII. obſerv. 18. quaſi aditum in eam ferre l. 28. §. 3. ff. de*

de liber. & posth. inde consequens est, eodem sensu dici, *adire bona* in *l. 1. C. de testam milit.* aut *testamentum* notante CVIAC. *l. c.* aut *agnoscere bona*, vt legimus in *l. 4. §. 17. ff. de fideic. libert.* aut *hereditatem subire l. 181. ff. de R. I.* aut *testamentum adoptare* IVSTIN. *Lib. 38. cap. 5.* aut teste CICER. *in Agrar. I. obire*, aut *hereditatem admittere l. 4. C. Vnde legit. & l. 14. §. 1. de legit. hered.* Eadem forte ratione, qua testamento adoptatus, aut cum conditione nominis ferendi institutus, quod exemplis probat BRISSON. *de Form. L. VII. p. 601. nomen adire* legitur; Inde PATERC. II. 60. 1. *Non placebat*, inquit, *adire nomen inuidiosae fortunae.* Exemplum vide ap. LEYS. *Spec. 560. med 3.* Propria autem aditionis vox videtur fuisse hereditatibus Iure Ciuili delatis. Bonorum possessiones agnosci dicuntur *l. 1. C. de iur. delib.* quamuis agnitae etiam hereditatis mentio fiat *in l. 2. eod.* Referunt Interpretes quatuor acquirendae hereditatis modos: *CRETIONEM, ADITIONEM, PRO HEREDE GESTIONEM, IMMIXTIONEM.* Operae pretium facturos nos esse credimus, si de singulis diligentius disputemus. Latet differentiae fundamentum, tum in ipsa heredum distinctissima qualitate, tum in modo declarandi voluntatem de hereditate suscipienda. Haec verbis fit factisque, & si meditationem ad ea tempora referamus, quibus formulis abundabat Roma, negotiaque ciuilia illis studiose implicabat, nuda verba non videbantur sufficitura, aut ad minimum non sola, sed inuenta *Cretionum Schemata*, quibus demum a THEODOSIO *l. 17. C. de iur. delib.* sublatis, IVSTINIAN., naturalem aequitatem secutus in §. *f. Inst. de hered qual.* edixit: *Extraneus heres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimam hereditatem vocatus, potest aut pro herede se gerendo, aut nuda voluntate suscipiendae hereditatis heres*

Quotuplex?

Aditionis species generatim explicantur.

heres fieri; & ſtatim ſubiungit: *Pro herede gerere quis videtur, ſi rebus hereditariis tanquam heres vtatur.* Vlterius, cum turpe ducerent Romani herede deſtitui, quem vltimo elogio nuncupauerant, aut bona famamque defuncti triſti praeconis voci ſubiici, eos, quos ſuae poteſtati ſubiectos habuerat teſtator, neceſſarios heredes eſſe volebant, lege gratitudinis omnem hereditatem repudiandi facultatem illis adimente. De his ergo, quod ipſo iure acquirerent hereditatem, ſeque non *adeundo*, quod liberae erat voluntatis, ſed *immiſcendo* heredes efficerent, ſanxerunt.

§. V.

Quid Cretio? Sed placet illuſtrandae doctrinae cauſa ipſa Cretionum iura paulo curatius exponere. Noſſe enim antiqui Iuris Romani fontes multum prodeſt ad indagandas veras legum nouiorum rationes. Erat vero CRETIO actus ſolenni formula expediendus, qua heres cum Cretione ſcriptus de adeunda hereditate decernit, & volens eandem ſuſcipit. Adiiciebatur plerumque certum temporis ſpatium, vnde factum, vt eam VLPIANVS *Fragm. tit. 22.* per certum dierum ſpatium, quod heredi ad deliberandum datur, definiuerit. Probant vero id ipſum formulae apud BRISSONIVM, in quibus: *CERNITO IN DIEBVS PROXIMIS CENTVM AVT SEXAGINTA.* Huius quoque temporis veſtigia occurrunt in *l. 22. §. 1. ff. quando dies leg. l. 3. §. 8. ff. de minorib. l. 2. §. fin. ff. de ſuis & legit. hered. l. 72. ff. de acqu. vel omitt. hered.* Sed hoc non erat perpetuum. Nam & hac formula: *CERNITO CVM VOLVERIS*, non adſcripto tempore heredes
Quid Cretio libera? inſtituebantur. Haec ideo dicta *CRETIO LIBERA*,

vt

vt CVIACIVS *Libr. IX. obſ. 29.* ex Cicerone probat. Ceterum ipſam vim vocis Cretionisque natales PERIZONIVS diſtinctius tum in *notis* ad SANCTII *Mineruam Lib. IV. c. 15.* tum ſingulari *Diatriba* contra KüSTERVM erudita contentione expoſuit. Erat autem *Cretio* alia *VVLGARIS*, alia *CONTINVA*, illa cum adiecta eſſent formulae inſtitutionis verba: *QVIBVS SCIERIS POTERISQVE*; haec, his omiſſis, tola procedebat temporis adiectione. Vtriusque differentiam ſatis perſpicue exponit PITISC. *in Lexico Antiq. Rom.* voce: *Cretio*, his verbis: *Cum Cretione inſtitutus ſicut cernendo fiebat heres, ita non aliter excludebatur, quam ſi intra diem Cretionis non creuiſſet hereditatem.* Ideoque etiam ſi conſtituiſſet, nolle ſe heredem eſſe, tamen, ſi ſupereſſent dies *Cretionis*, pœnitentia actus *cernendo* heres fieri poterat. Intererat vtrum vulgari, an continua *Cretione* heres quis inſtitutus eſſet. Nam ei, qui vulgarem *Cretionem* habebat, dies illi computabantur, quibus ſe ſciuerat heredem inſtitutum eſſe, & potuerat *cernere.* Ei vero, qui continuam habebat *Cretionem*, etiam illi dies computabantur, quibus ignorauerat, ſe heredem inſtitutum, aut ſciuerat, ſed non potuerat *cernere.* Ipſe vero actus hac formula expediebatur: *QVVM ME MEVIVS HEREDEM INSTITVERIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNOQVE.* Sic ſemper Cretio & Aditio conjunctae erant. Et niſi fallit conjectura, eundum erat in rem praeſentem. Quare rectiſſime notat Vir Clariſſ. HEINECC. *in antiq. ad proem. Inſt. §. 6.* Cretionem extra ius fuiſſe expediendam, licet ea alias actuum legitimorum ſit natura, vt apud Praetorem ſuſciperentur. Nec hoc loco diſputabimus, an teſtibus praeſentibus & digitorum percuſſione vel ſaltatione quadam, laeti-

Quid Cretio vulgaris? Quid continua?

tiae quasi signo, peracta sit Cretio, vt putat ANT. DADIN. ALTES. *in tract. de Fiction. Jur. III. 10.* In tantis enim vetustatis tenebris quis ausit certa afferre? Id potius notasse proficit, adiecta interdum fuisse formulae verba: *NISI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO*, quae si omissa, Cretio *IMPERFECTA* dicebatur. Rectissime ad hunc locum VLPIANI, cuius fragmenta sæpe in partes vocauimus, notat SCHVLT. verba haec in suo vel emancipato herede habuisse exhereditationis effectum, in extraneo vero fuisse inania. Eleganter enim *l. 44. ff. de hered. instit.* respondit JCtus: *Neminem ex alterius facto hereditati neque alligari neque exheredari posse.* Nota vlterius, quod si quis sub formula: *NISI ITA CREVERIS, TVNC PAVLVS HERES ESTO* institutus, is vero Cretionis actum susque deque habeba', nudeque potius adire vel pro herede gerere mal'uit, substitutus pro dimidia parte hereditatis admissus fuit. Sublata autem ex post a D. MARCO nimia hac subtilitate, inductum subinde, vt & pro herede gerenti totus plane as acquireretur. vid. SCHULTING. *in Jurispr. Ante-Justinianea p. 643. n. 66.*

Quid Cretio perfecta? Quid imperfecta?

§. VI.

Jura Cretionis vlterius illustrantur.

Ex dictis colligitur, Cretionem ad heredes testamento scriptos, eosque non directos solum, sed etiam fiduciarios pertinuisse, quod postremum institutionis formula comprobat. a PLINIO *Lib. X. Epist. 79.* his verbis relata: *ROGAVIT TESTAMENTO, VT HEREDITATEM SVAM ADIREM CERNEREMQVE.* Nec silentio praetermittendum putamus, quod annotauit PETRVS FABER *semestr. Lib. XI. c. 22.* potuisse etiam heredem sine Cretione scriptum delatam sibi hereditatem mediante Cretionis formula adire. Quod si certum

tum eſt, Praetor ſine dubio cernendae hereditatis tempus debebat definire, vrgentibus forte creditoribus. Factum hoc eſſe, non prorſus improbabili coniectura colligimus, vt eo certior eſſet aditae hereditatis probatio. Notat quoque SCHULTING. *l. c. p. 644. n. 18.* interdum Cretionem peragendam fuiſſe a legitimo herede, & diuerſam non nihil formulam adhibitam fuiſſe ſuſpicatur. Si plura addidiſſet, forte mens ipſius & ſententia certior euaſiſſet. Si, quid ſentiamus, profari licet, in herede ſuo nullus Cretionis vſus, niſi ex teſtamento patris: De agnato idem dicendum quod de herede extraneo, vſus autem Cretionis in eo maxime conſiſtebat, vt haberet heres deliberandi tempus. Olim notante VLPIANO *fragm. tit. 22. §. 29. ſine Cretione heres inſtitutus, ſi conſtituerit, nolle ſe heredem eſſe, ſtatim excluditur ab hereditate, & amplius eam adire non poteſt.* Nondum ius deliberandi inualuerat, aut ſi inualuit iam eo tempore, quo Cretionis viguit vſus, prudentius videbatur ab ipſo teſtatore heredi tempus deliberandi determinando proſpici, quam forte a Praetore, qui edicto promiſerat, ſe heredi tempus ad deliberandum petenti daturum. *l. 23. §. 1. ff. de hered. inſtit.* Vnde ſatis liquet non ſuperfluam aut inanem fuiſſe Cretionis ſolennitatem. Patet quoque ex dictis in locum Cretionis ſucceſſiſſe ius deliberandi, primum a Diuo Hadriano & Gordiano quibusdam, poſt a Juſtiniano omnibus heredibus datum, & inuentarii beneficio adauctum. Quare mirandum non eſt, ſcrupuloſam Cretionum ſolennitatem penitus ab vſu receſſiſſe. Ceterum eorum ſententiam noſtram haud facimus, qui centum dies petendae bonorum poſſeſſioni praefinitos in *§. 9. Inſt. d. bon. poſſeſſ.* ex antiquis Cretionum formulis deriuare ſolent. Certius eſt, id inde deriuari, quod aditio hereditatis in *l. 77.*

ff. de R. I. inter actus legitimos referatur, adeo vt teſte WISSENB. *ad d. l.* non defuerint, qui pro voce *Aditionis*, *Cretionem* legendam putent. Quod ipſum nobis occaſionem praebet disquirendi, cur Cretio inter actus legitimos relata? Quod vt expediamus, paucis ipſorum actuum legitimorum natura praemittenda eſt. Sequemur autem JAC. RAEVARDVM *de auctoritate prudentum*, & JAN. VINC. GRAV. *ad LL. XII. Tabul.* Scilicet ex interpretatione LL. XII. tabb. variae verborum conceptiones formulaeque enatae ſunt, ad quarum cynoſuram quoduis negotium ciuile expediendum; inde tum *legis actiones*, tum *actus legitimi* profecti. Illae erant formulae, quibus homines inter ſe diſceptabant coram Praetore, actusque varios voluntariae iurisdictionis coram Magiſtratu explicabant *L. 5. ff. de offic. Procenſul. l. 4. de adopt.*; Hi ab illis differebant notante HEINECCIO *in Elem. jur. Ciu. ſecundum Ord. Pandect. Part. 1. §. 35.* quod non coram magiſtratu neceſſario explicandi fuerint. In eo autem par vtrorumque ratio fuit, quod concepta formula ſuscipiendi, nec diem nec conditionem, nec procuratorem admiſerint, nec iterato fieri potuerint. Quae requiſita omnia cum aditioni hereditatis hinc inde applicata legamus, etiam poſtquã Cretionis nomen exoleuerat, ipſaque adeo Aditio in *d. l. 77.* inter actus legitimos referatur, non dubium eſt, quin proprio quodam iure Cretio ad eosdem pertinuerit, idque iuris antiqui reliquiis adſcribendum, quod aditio a Juſtiniano reformata quasdam tamen vetuſtatis qualitates retinuerit.

Quid ſint actus legitimi?

§. VII.

Quid aditio ſimplex?

Sine Cretione inſtitutus *ADITIONE* quae *SIMPLEX* in

in *l. 1. C. Theod. d. leg. hered.* dicitur, vbi Imperator CONSTANTINVS eam deſcribit, vt peragatur *arrepto rerum quolibet corpore, vel animi deſtinatione pateſacta.* Eiusdem quoque formulam hanc ponit WISSENBACHIVS *diſp. ad ff. LVIII. §. 7. QVANDO ME TITIVS HEREDEM INSTITVIT, EAM EGO HEREDITATEM ADEO.* Nec dubium, quin olim ſolenni ſtylo fuerit explicata, licet hodie quaeuis verba ſufficiant. A Cretione autem differebat, quod Aditio ad quemcunque caſum ſucceſſionis pertinuerit, nec temporis adiectionem requirebat, ſed forte vrgentibus creditoribus deliberandi tempus a Praetore ſtatuendum. Ceterum Aditio adhuc cum Cretione in lege Iuſtiniani conſpirat, quod ad heredes voluntarios pertineat, & qualitatem actus legitimi retinuerit. Quo loco inconcinnitas & male cohaerens nouioris iuris analogia merito notanda venit. Siſtet noſtra diſſertatio complures concluſiones non aliunde, quam ex antiqui iuris ambitu deducendas, licet aditionis ratio ad naturalem aequitatem videatur reducta. Sufficere enim videtur, aditionis naturam ſolo conſenſu ad obligandum efficaci & apto metiri, ſiue verbis ſiue factis exprimatur. Sequeſtrandae ergo ſunt concluſiones ex Cretionis natura deriuandae, quod & nos praeſtabimus ſuo loco paulo curatius. Placet in teſtimonium aduocare SCHILT. qui in *Exerc. ad Pand. XXVIII. §. 148. Sublata*, inquit, *penitus Cretionum ſolennitate, reliqua fuit aditio ſimplex, quae quauis ratione, verbis quibusuis & facto queuis conſtat. Vnde conſequens eſt, quum aditio hereditatis, quae cum cretione fiebat, eſſet actus legitimus l. 77. ac R. J. eam hodie, cretione penitus remota, actum legitimum amplius vix haberi: adeoque & a curatore poſſe expediri.*

§. VIII.

Quid & Geſtio pro herede?

Qui ipſo facto hereditatem ſuscipiebat, *GERERE SE PRO HEREDE* dicebatur *l. 19. in fin. ff. de V.S.* Graphice hoc expreſſit PAVL. *Sent. Recept. Lib. IV. tit. 8. §. 25. Pro herede gerere*, inquiens, *eſt deſtinatione futuri dominii aliquid ex rebus hereditariis vſurpare.* Inueſtigandum ergo, ex quibus factis haec geſtio deduci queat? Audiamus leges ipſas Ita vero IMPERATOR *in §. 6. Inſt. de hered. qualit. Pro herede autem gerere quis videtur, ſi rebus hereditariis tanquam heres vtatur, vel vendendo res hereditarias, vel praedia colendo locandoue & quoquo modo voluntatem ſuam declaret.* Et paulo poſt: *Pro herede enim gerere eſt pro domino gerere: Veteres enim heredes pro dominis appellabant.* Imo & retentio rerum ad hereditatem pertinentium hunc effectum habet notante PAVL. *in L. 88. ff. de acquir. vel. omitt. hered.* vbi ſatis emphatice: *Gerit pro herede, qui animo agnoſcit ſucceſſionem, licet nihil attingat hereditarium: vnde & ſi domum pignori datam, ſicut hereditariam retinuit, cuius poſſeſſio qualis qualis fuit in hereditate, pro herede gerere videtur; idemque eſt, etſi alienam rem, vt hereditariam poſſedisſet.* Et inde explicantur verba VLP. *in l. 20. pr. d. t.* quando ait: *Pro herede gerere, non eſſe facti, quam animi*, vbi addit: *Ceterum, ſi quid pietatis cauſa fecit, ſi quid cuſtodiae cauſa fecit, ſi quid quaſi non heres egit; ſed quaſi alio iure dominus apparet, non videri pro herede geſſisſe.* Notari merentur verba PAVLI *in l. 22. d. t.* vbi ita: *Vt quis pro herede gerendo obſtringat ſe hereditati, ſcire debet, qua ex cauſa hereditas ad eum pertineat.* Ex his colligimus tria requiri, vt quis ſeſe pro herede geſſisſe dicatur. 1.) Scientia certa delatae hereditatis 2.) Facta concludentia. 3) alius cauſae excluſio, quae

ad

ad gerendum impellere poteſt, cum in hoc negotio ſola acquirendae hereditatis verſetur intentio. Quae cum ſingula difficilioris ſint probationis, in ſubſidium quoque praeſumtiones vocandae. Ex facto enim hic ius nascitur. Caſuum & exemplorum copiam ſuo loco proferemus in medium.

§. IX.

Sequitur *IMMIXTIO*, cuius indoles ex qualitate heredis neceſſarii addicenda. Scilicet: *Neceſſarius heres*, inquit IMPER. in §. 1. Inſt. de hered. qual. *eſt ſervus heres inſtitutus, ideoque ſic appellatur, quia ſive velit ſive nolit omnino poſt mortem teſtatoris protinus liber & neceſſarius heres eſt.* Et eo pertinet formula inſtitutionis in *L 2 ff. de cond inſt. ILLE SERVVS SI MEVS ERIT, CVM MORIAR HERES ESTO.* Pari ratione *liberum heredemque eſſe iuſſit*, occurrit in *l. 60. ff. de A. v. O. H.* & *l. 54 ff de hered. inſt.* Hunc morem ſervabant domini aere alieno preſſi, id inde ſolatii nacti, vt ſervi heredis potius, quam teſtatoris nomine bona venirent, ne infamia in manes defuncti, ſi heredem haberet ingenuum, redundaret *l. 2. C. de neceſſ. ſerv. hered. inſt.* De ignominioſa bonorum venditione CICERO *in orat pro P. Quinct. cap. 15.* ſequentia edixit: *cuius bona venierunt, cuius non modo ampliſſimae illae fortunae, ſed etiam victus veſtitusque neceſſarius ſub praecone cum dedecore ſubiectus eſt; is non modo ex numero virorum exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos amandatur*, & paucis interiectis ita proſequitur: *ergo hercule cuius bona ex edicto poſſidentur, huius omnis fama & exiſtimatio ſimul cum bonis poſſidetur.* Eundem in modum PLINIVS *SEC. lib. 2. Epiſt. 4.*

Quid heres neceſſarius?

lo-

loquitur: *Ignominiosum enim videbatur veteribus, vt bona eorum nomine possiderentur a creditoribus.* Et eo quoque collimare videntur, quae PLAVTVS *Menaechm.* V. 9. iocosa licet oratione ita expressit:

Venibit & vxor quoque etiam, si emtor venerit:

Haec heredem scribendi ratio natales suos debere videtur legi Æliae Sentiae, cuius sententia occurrit in *l. 42. ff. de hered. Inst.* Nihil vero amplius lex exigebat a seruo ad hereditarium onus subeundum obligato, quam vt nomine suo periclitanti patroni defuncti famae subueniret, patereturque bonorum venditionem fieri, vt ea non testatoris, sed heredis fuisse viderentur, nec manes defuncti acerba praeconis voce inquietarentur. Ea vero, quae post aditam hereditatem sibi seruus heres, liber factus, acquisierat, reseruabat, aut iure separationis tuebatur, nisi se immiscuisset hereditati damnosae, sin, vt loquitur VLP. *l. 1. §. f. ff. de separ. Si non attigerit bona patroni.* Rependebatur ergo hoc incommodum, quo seruus heres scriptus afficiebatur, insigni libertatis emolumento; cum e contra, si seruus ex alio iuris fundamento etiam inuito domino defuncto libertatem potuisset extorquere, abeoque heres institutus esset, iudicio PAVL. *l. 84. ff. de hered. inst. Humanius esset, & magis aequitatis ratione subnixum, cum non fieri necessarium heredem.* Hi ergo ipso iure heredes fiebant citra factum aditionis, aut gestionis aut immixtionis. Sed alia ratio erat eorum, quos suos & necessarios Romani vocabant. Suitatis elogium proprium & domesticum heredem denotat, quia sui viuo patre quodammodo domini rerum paternarum existimantur *§. 2. Inst. de hered. qualit.* Et hinc non *fieri* sui heredes *aditione*, sed *existere*, neque *acquirere* bona sed *retine-*

Qui sui & necessarii?

re & ideo *heri minores*, atque *relinqui* potius, quam *inſtituti* heredes, dicuntur. Suum vero heredem ex Romanae Jurisprudentiae ſententia vinculum patriae poteſtatis conſtituit, cui ficta perſonae vnitas innititur. Familia enim corpus morale conſtituit, cuius caput parens, a GAIO *in l. 196. de V. S. princeps familiae* dictus, liberi vero membra, & acceſſiones, & partes corporis vniuerſi, in quibus parens vita functus perpetuo viuere creditur. Quicunque in familia exiſtunt, patris poteſtati & manui ſubiecti erant. Et ſi ius vetus ſequamur, in mancipio patris fuiſſe, adeoque proprietatis quodam nexu ſiue dominio Quiritario eidem addictos, quare patriam poteſtatem maieſtatis axiomate inſignitam legimus. Inde ſimul eluceſcit, cur ſuis heredibus neceſſariorum quoque nomen, vti ſeruis, inditum. Vt enim ſerui heredes inſtituti & inaeſtimabili libertatis dono mactati heredes eſſe etiam inuiti tenebantur; ſic liberi in poteſtate patris eiusque proprietate ad inſtar ſeruorum conſtituti, quod plenius demonſtrauit BYNKERSHOECK. *d. iure occid. liber.* ſuſcipere hereditatem paternam iubebantur, niſi pater aut tandem ſucceſſu temporis etiam, rigore patriae poteſtatis aliquatenus temperato, Praetor, aequus ille legum interpres, abſtinendi beneficium ſuis indulliſſent. v. *l. 12. ff. de cond. inſt.* & *l. 57. ff. de A. v. O. H.*

§. X.

Cum itaque patria poteſtas ſit fundamentum ſuitatis, nexus doctrinae exigere videtur, vt ſpecialius definiamus, quinam in claſſem ſuorum referendi veniant. Sunt ergo ſine dubio inter ſuos connumerandi primi gradus liberi, in

Sui heredes ſunt a) liberi.

potestate & sacris paternis familiaque constituti, quibus non solum ipsa naturalis ratio, sed & parentum vota hereditatem addicunt. Haec meditantibus commodo omnino loco succurrit effatum VLP. *in l. 1. §. 2. de ventre in poss. mitt.* Ita vero JCtus *l. c.* inquit: *Totiens mittitur in possessionem venter, si non est exheredatus, & id quod in vtero erit, inter suos heredes futurum erit. Sed & si incertum sit, aliquo tamen casu possit existere, quo, qui editur, siue futurus sit, ventrem mittemus?* Assentit JCtus, ventrem mittendum in bona ex Praetorio Edicto, quod ventri testamento patris praeterito dabat bonorum possessionem contra tabb.; ex illa sine dubio ratione, quia natus fingitur, qui in vtero materno est, quoties de eius commodo agitur *l. 7. & 26. ff. de stat. hom.* Suitatis quoque iure gaudere ventrem, si natus viuo patre suus fuisset. Quin imo adeo fauorem ventris extendit, vt & in dubia suitatis quaestione in bona mittendus esset. Inter suos quoscunque posthumos referimus, qui si nati essent viuente patre, in eius potestate fuissent constituti. Et nepotes, vel iam nati & in potestate aui existentes, vel nepotes posthumi, si nemo eos in causa successionis praecederet, suorum nomine comprehendebantur. *l. 29. §. 14. ff. d. liber. & posth.* Alienum est ab instituto scrupulosas antiquae iurisprudentiae sententias de posthumorum conditione & institutione in medium proferre, aut legis Velleiae historiam nectere, cum non de institutione heredum, sed de sola suitatis qualitate solliciti simus. *conf.* si placet, ANT. FABR. *lib. IX. coni. c. 1. seqq. lib. X. c. 1. sqq.* Et SCHVLTING. *ad* CAI. *lib. II tit. 3.* & *ad* VLP. *tit. 22. §. 15. seqq.* Hanc solam notatu dignam iudicamus quaestionem, variis interpretum sententiis & dissensionibus agitatam, *an suitas exheredatione pereat?* aut vt facti specie

β) An & Ventri?

γ) An nepotes & nepotes posthumi?

cie ſuppoſita eandem exprimamus clarius: *An nepos, cuius pater viuus adhuc & exheredatus eſt, suo suus heres efficiatur?* Exacte ſatis & ſubtiliter hoc dogma tractarunt ANT. FAB. *conl. l. c. C. 20.* & HOTTOM. *Lib. IX. obſ. 10.* vt taceamus alios complures, qui in intricatoribus legum nodis ſoluendis laudabiliter magis, quam vtiliter deſudarunt. Vt quid nobis videatur, exponamus breuiter. Superuacaneum eſſe credimus cum HILLIGERO *ad* DONELLVM *Lib. VII. c. 7. not. c.* disquirere, an exheredatus viuo patre ſuus eſſe deſinat? Vti enim viuentis nulla eſt hereditas, ita nec qualitas heredis in controuerſiam venit, antequam caſus delationis extiterit. Recte ergo dicimus, mortuo auo filium exheredatum velut pro mortuo haberi, vt eſt in *l. 11. §. 5. ff. d. conl. cum emancip.* quoad omnes effectus ſucceſſionis, & adeo nepotem ſuum omnino efficit. Eo ſenſu exheredatos ſuos heredes patri non extitiſſe refert *l. 1. §. 10. d. ſuis & legit.* nec exheredatum nomen ſui adeptum, ſcribit JCTVS *in l. 20. §. 1. d. B. P. c. t.* modo ſcriptus heres hereditatem non omiſerit. Videtur quoque in rem noſtram alleganda *l. 6. §. 5. ff. d. A. v. O. H.* Cum enim ex ſententia illius nepos auo ſuccedens patre ſuo exheredato dicatur patrem ex ſua perſona & virtute patriae poteſtatis aui heredem neceſſarium & ſuum heredem facere; quid aliud inde colligendum, quam ſuitatem exheredatione in perſona patris fuiſſe extinctam? Adoptionem quoque ſuitatem tribuere, eamque cum primis plenam nec non arrogationem nemo facile negauerit, qui conſiderauerit, teſte CIC. *in Orat. pro domo ſua cap. 13. Jus adoptionum in tribus poſitum, in hereditate nominis pecuniae & ſacrorum.* adde his *l. 1. §. 2. ff. d. ſuis & leg. hered.* Adiungemus his luculentum ſatis & euidens teſtimonium

1) An adoptiui & arrogati?

ex §. 2. *Inſt. de hered. quae ab inteſt.* vbi, poſtquam Imperator, qui ſui ſint heredes, expoſuit, ſtatim ſubiungit. *Nec intereſt, vtrum naturales ſint liberi, an adoptiui. Quibus connumerari neceſſe eſt etiam eos, qui ex legitimis quidem matrimoniis non ſunt progeniti, curiis tamen ciuitatum dati, ſecundum Diualium Conſtitutionum, quae ſuper his poſitae ſunt, tenorem, heredum ſuorum iura nanciſcuntur. Nec non eos quos noſtrae amplexae ſunt conſtitutiones, per quas inſſimus, ſi quis mulierem in ſuo contubernio copulauerit, non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum qua poterat habere coningium, & ex ea liberos ſuſtulerit: poſtea vero affectione procedente, etiam nuptialia inſtrumenta cum ea fecerit, & filios habuerit: non ſolum eos liberos, qui poſt dotem editi ſunt, iuſtos & in poteſtate patris eſſe ſed etiam anteriores, qui & iis, qui poſtea nati ſunt, occaſionem legitimi nominis praeſtiterunt.*

2) An legitimati?

§. XI.

Et ne quicquam omittamus, quod ad ſcenam noſtram inſtruendam pertinet, illa quoque antiquae iurisprudentiae monumenta non negligimus, quae vxorem per conuentionem in manum mariti ductam inter heredes ſuos relatam probant. Ita enim GELL. *Noct. Atticar. Lib. XVIII. c. 6. matremfamilias appellatam eſſe eam ſolum, quae in mariti manu mancipioque, aut in eius in cuius maritus poteſtate mancipioque eſſet, quoniam non in matrimonium tantum, ſed in familiam quoque mariti & in ſui heredis locum veniſſet.* Et in Collat. *Legum Moſaic. cum Rom. tit. 16. Vxor quoque dicitur, quae in manu eſt, ſuà heres eſt quia filiae loco eſt.* In manum mariti vxor conueniebat *confarreationi & coëmtione* de illa inquit VLP. *in Fragm. tit. 9. Farre conuenitur in manum cer-*

b) An vxor inter ſuos heredes referenda?

certis verbis, & teſtibus decem praeſentibus & ſolenni ſacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur. Ritum ipſum perſequi tuſius non vacat. Hanc vero vxorem tranſiſſe in poteſtatem & ſacra mariti, ex teſtimonio Gellii patet, ex poteſtate vero patria inſuitatis ortum eſſe iam adſtruximus. Mos coëmendi vxores aliis quoque gentibus conſuetus notante GVNDL *diſſ. de coëmpt. vxorum*; ſecundum veteris Romae leges deſcribitur a NONNIO *d propriet. ſerm. Lib XII C. 50.* & eundem cum confarreatione effectum producebat. Sed an & *uſu* vxor ducta in manum & poteſtatem mariti conuenerit, dubitabant antiquitatum ſcrutatores, de quo legi merentur, quae habet PITHOEVS *ad Collat. LL. Moſ. & Rom. apud* SCHVLTINGIVM *in Iurispr. Ant Inſt. p 790. num. 5.* Imo & nurus, quae in manum filii in poteſtate patris exiſtentis conuenerat, inter heredes ſuos referebatur teſte VLP. *in fragm. tit. 22. §. 14.* Eas autem ad ſucceſſionem fuiſſe admiſſas, probat HEINECCIVS *in Antiq. Lib. III. tit. I. §. 5.* Sed deſiit poſtea omnis in manum conuentio, adeo vt veſtigium iuris antiqui occurrere videatur in *l. 195. §. 2. d. V. S.* Vbi *materfamilias in poteſtate mariti eſſe dicitur.* Haec lege Voconia ſucceſſio foeminarum abolita, licet, an haec de ſucceſſione coniugis egerit, incertum. Iuſtinianeo quo vtimur, iure inter ſuos heres referenda vxor non eſt, licet naturae & gentium iure mariti poteſtati ſubiecta, & certa ratione ex conſtitutionibus Imperatorum & iure Practorio ad ſucceſſionem admiſſa.

§. XII.

Nunc ipſa *IMMIXTIONIS* ratio facili negotio enodari Quid immixtio?

poterit. Scilicet ſui heredes ipſo iure tales erant, neceſſa-
ria aditionis indigebant, domini rerum paternarum na-
turae legumque beneficio effecti. Hoc dominium *actu*
primo, vt in ſcholis loquuntur, habebant vivo patre, eo
mortuo nanciſcuntur *actu ſecundo*, adeoque licet filius nihil
ex bonis paternis attigerit & deceſſerit, ius tamen reti-
nendi hereditatem ad quoscunque heredes transmittit.
Quia vero ob aes patris alienum durum hoc omnino onus
& ſuccoſum ſuis exiſtere poterat, Praetor aequitate mo-
tus iisdem ius abſtinendi conceſſit, qui ſortes quod LIVI-
VS *Lib. VIII. cap. 28.* refert occaſionem dedit L. Papi-
rii improbi foeneratoris immane facinus & in Caium
Publium ob aes alienum patris ei nexu dictum ince-
ſta libido. Luculenter haec probant verba *l. 57. pr. ff. de Ac-*
v. O. H. quae ita ſonant: *Neceſſariis heredibus, non ſolum*
impuberibus, ſed etiam puberibus abſtinendi ſe ab hereditate
Proconſul poteſtatem fecit: vt quamvis creditoribus hereditu-
rii iure ciuili teneantur, tamen in eos actio non detur, ſi velint
derelinquere hereditatem. Quo ipſo beneficio ſuis indulto
non quidem omnis effectus ſuitatis videtur euanuiſſe, li-
berum tamen hereditatis adeundae arbitrium exemplo
heredis extranei ipſis conceſſum eſt. Immiſcere ergo ſe
dicuntur ſui hereditati paternae, quoties eam facto ipſo
ſuſcipiunt. Idem ergo eſt immixtio, quod geſtio pro he-
rede, & eo nomine venit in *l. 20. §. 2. d. A. v. O. H.* licet
immixtio ad ſpeciem traducta, ſuis heredibus propria
reddita, geſtio vero crebrius tribuatur extraneis. Merentur hoc loco notari verba PAPIN. *in l. 87. d. t.* relata.
Eum bonis patris ſe miſcere conuenit, qui remoto familiae vincu-
lo pro herede gerere videretur: & ideo filius, qui tanquam ex
bonis matris, cuius hereditatem ſuſcepit, agrum ad hereditatem

pa-

patris pertinentem, vt maternum ignorans possedit, abstinendi consilium. quod in bonis patris tenuit, amisisse non videtur. Ceterum nullibi prohibitum est suis heredibus, declaratione publica vel priuata paternam hereditatem retinere. Et pro certissimo habemus, licuisse patri liberos cum Cretione heredes scribere. Quodsi ergo, explosis veteris iuris sanctis, rem ex vero aestimemus vsu, satis superque eluescit, duos saltim supereſſe acquirendae hereditatis modos, quorum alterum expressa, alterum praesumta & tacita voluntatis declaratione niti, & illum *Aditionem*, hunc *Gestionem pro herede* dici; supra iam adstruximus. Restat nunc, vt progrediamur ad specialiora, quae aditionis modum & effectum curatius exponunt.

§. XIII.

Aditio hereditatis animi destinatione perficitur, vid. *l. 88. d. Acqu. v. O. H.* Cum vero secundum effatum PAPIN. *in l. 76. d. R. I. Omnia, quae animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt*; sequitur, hereditatem aditurum nosse oportere, quod hereditas, & qua ratione ipsi delata sit. Dolo enim non vacaret, aut culpa, immiscere se negotio ad se non pertinenti. Inuasor alieni iuris reiue existeret, qui absque causa legitima hereditatem aliis debitam susciperet. Multo magis certus esse debet de morte eius, ad cuius hereditatem adspirat *l. 32. pr. ff. d. A. v. O H. l 27. eod. l. 1. ff. pro herede*, viuentis enim nulla est hereditas, nisi forte monasterium ingressi. Ius ergo succedendi siue lege, siue tabulis supremis munitum praesupponitur. In fidem dictorum varia proferri in medium possunt iuris effata, vtut nobis sanam ra-

Aditio requirit scientiam d. tae hereditatis

rationem allegare in re tam certa & euidenti ſuffecturum videatur. Sic in *l. 19. d. A. v O. H.* legimus: *Qui hereditatem adire, vel bonorum poſſeſſionem petere volet, certus eſſe debet, defunctum eſſe teſtatorem.* Et *l. 22. eod.* expreſſe ſancitum: *Vt quis pro herede gerendo obſtringat ſe hereditati, ſcire debet, qua ex cauſa hereditas ad eum pertineat.* Hinc dubitans de veritate teſtamenti adire nequit, vt ſcriptum eſt in *l. 51. pr. d. t.* Et ex parte certa inſtitutus, eamque ignorans, & aliam partem adiens nihil agere dicitur in *l. 75. d. t.* Noſſe quoque debet aditurus, qua ratione inſtitutus ſit. Ita enim *l. 32. §. 1. d. t.* *Sed & ſi ſcit, ſe heredem inſtitutum, ſed vtrum pure, an ſub conditione, ignoret, non poterit adire hereditatem licet, pure heres inſtitutus ſit. & ſub conditione, licet paruerit conditioni.* Quare ſi quis inſtitutus ſub conditione, non ſufficit, eam fato quodam & forte fortuna impletam eſſe, vt hereditatem adire poſſit, ſed ſcire heres debet, euentum conditionis extitiſſe, vt de conditionibus facti non iuris expreſſe traditur in *l. 21. d. cond. & demonſtr.* Non poſſumus hic prorſus ſilentio omittere apertiſſimam contradictionem, quam in *l. 21. § f. ff. d. A v. O. H.* expreſſe deprehendimus. Ibi enim VLP. *Quid tamen*, inquit, *ſi ignorat, conditionem extitiſſe? Puto poſſe adire hereditatem: quemadmodum ſi ignoret. an coheredis, cui ſubſtitutus eſt, repudiatione portio ei delata ſit.* Equidem CUIACIVS, ſummus ille iuris ciuilis & acutiſſimus interpres inſerta negatione controuerſiam definiendam putauit, vt obſeruat MERILLVS. *Lib. III. Variant. c. 30.* Sed retinendam putat WISSENBACHIVS *ad l. 76. d. R. I.* lectionem Florentinam non de inſtituto ſed ſubſtituto herede allegatum textum explicans. Sed nec Wiſſenbachii ſententiam iuris analogia tuetur. Nec enim valida ratio reddi poteſt, cur

aliud

aliud in ſubſtituto, qui pari iure gaudet cum inſtituto, obtinere debeat. Legem legis ſubſidio interpretandam arbitramur. Quidni ergo eadem ſentiendi libertate gaudentes, qua alii, dicamus in *l. 21. d. A. v. O. H.* contineri regulam, eamque *l. 21. d. condit. & demonſtr.* adhibita inter conditionem iuris & facti differentia reſtringi. Sed elige, cui dicas: Tu mihi ſola places. Forte & alii eandem amplexi ſunt ſententiam, quorum ſcripta nobis euoluere non licuit. Sed pergimus in recenſendis aditionis hereditariae iuribus. Non videtur aliena ab hoc loco quaeſtio, *an heres conditioni teſtamento adiectae parendo eamque implendo cenſeatur hoc ipſo adquiſiſſe hereditatem?* De ſuo herede *l. 86. §. 1. ff. de hered. inſt.* affirmat, quod conditioni parendo ſe videatur immiſcuiſſe, quod de extraneo herede *l. 1. ff. d. condit. caus. dat.* negat. Heres enim implendo conditionem facultatem ſaltim adquirendi hereditatem conſequitur, ſiue quod eodem redit, purificatur eiusdem delatio. vid. *l. 74. pr. ff. d. acq. v. omitt. her. l. 13. d. l. 26. ff. de cond. inſtit.*

§. XIV.

An per alios hereditas adiri queat?

An vero heres in adeunda hereditate aliena opera vti queat diffuſioris eſt tractationis. Aut enim quaerimus de perſonis noſtrae poteſtati ſubiectis, aut de iis, quae ob aetatis defectum alieno reguntur auxilio, aut de vicaria procuratoris opera loquimur, aut de perſonis vi publici, quod gerunt, officii hereditates adquirentibus. Occurrunt primo loco ſerui & filiifamilias. Dum iuri naturae non contrariatur in negotiis gerendis alterius vti miniſterio, idem quoque Romae obtinuit, in iis adquirendi modis,

dis, qui ſolo meroque gentium iure perficiebantur, in illis vero agendi formis, quas ius ciuile introduxerat, inualuerat ſententia, ne alteri per alterum adquireretur, exceptis illis, qui in poteſtate erant. Serui enim & liberi, cum non pro perſonis, ſed rebus haberentur, quicquid ex cauſa naturali vel ciuili acquirebant, id omne domino vel patri cedebat. In hunc tenſum loquitur *l. 73. §. 4 d. R. I.* & ſatis euidenter MODESTINVS *in l. 53. ff. de adquir. rer. dom quando ea quae ciuiliter* ait, *adquiruntur, per eos, qui in poteſtate noſtra ſunt, adquirimus, veluti ſtipulationem: quod naturaliter adquiritur, ſicuti eſt poſſeſſio, per quemlibet volentibus nobis poſſidere adquirimus.* adde §. 5. *Inſt per quas perſ. l. 1. C. eod. l. 54. pr. ff. de A. R. D.* Notiſſima ſcribimus, ſed nunc ad praeſentem materiam applicanda. Duo occurrunt caſus huc pertinentes. Nam aut ſeruus noſter a tertio heres inſtitutus eſt, aut in diſquiſitionem venit, an dominus inſtitutus ſeruo aditionis negotium mandare queat? De priori ita diſſerit ICTVS *in l. 79. ff. de Acq. v. O. H. Placet quoties per aliquem adquiritur hereditas vel quid aliud ei, cuius quis in poteſtate eſt, conſeſtim adquiri ei, cuius eſt in poteſtate.* Ne vero domino per ſeruum heredem inſtitutum & hereditatem adeuntem iniqua forte conditio adferatur, iuſſum domini ſignate requirit *§. 3. Inſt. de hered. inſt.* & *l. 25.* & *26. ff. de A. V. O. H.* Et GAIVS *in l. 10. §. 1. ff. de acq. rer. dom. Ideoque*, inquit, *ſi ſeruus heres inſtitutus ſit, niſi noſtro iuſſu, hereditatem adire non poteſt: & ſi iubentibus nobis adierit, hereditas nobis adquiritur, perinde atque ſi nos ipſi heredes inſtituti eſſemus.* Hocque caſu ſeruus hereditatem domino, in cuius proprietate erat, acquirebat, licet ſecundum *l. 45. ff. h. t. aditio hereditatis non ſit in opera ſeruili*, non vero vſufructuario

An per ſeruos?

nec

nec marito ſeruus dotalis, licet maritus fictione iuris ſit dotis dominus, ſed vt *l. c.* habet, mulier hereditatem actione de dote recuperabit. Quod caſum poſteriorem attinet, licet forte cernere hereditatem ſolenni actu nequiret ſeruus iuſſu domini, domino herede inſtituto, non dubitamus tamen, quin dominus ſerui miniſterio in ſuſcipienda hereditate vti queat, idque ob vinculum quod dominum & ſeruum ex iure poteſtatis coniungit & vnit. Sed non vacat his immmorari, quae vſum nulla ratione habere poſſunt. Idem de filiis familias habet *l. 25. d. A. v. O. H.* Debebat vero iuſſus domini vel patris praecedere, aliter ac in bonorum poſſeſſione agnoſcenda, in qua ratihabitio ſuperueniens ſufficiebat *l. 3. §. 7. ff. d. B. P. l. 1. C. qui adm. ad B P.* Differentiae rationem his verbis exprimit DONELLUS *Enucl. lib. VII. c. 6. lit. E. Aditio continet in ſeſe adquiſitionem, adire enim eſt animo adquirere, aut ad animo adquiſitam accedere. Bonorum vero poſſeſſio conſiſtit in facto petentis & dantis magiſtratus, non in nuda iuris adquiſitione, illa & facti & iuris eſt, & propterea non poteſt rata haberi, quia non fuit vera; haec vero (petitio bon. poſſeſſionis) facti eſt & poteſt.* Sed aliquatenus iure nouo haec mutata deprehendimus, patre enim etiam diſſentiente filius delatam hereditatem proprio iure adquirit *l. f. C. de bon. quae lib.* Et licet pater conſentiat, adquiritur tamen ei ſolus vſusfructus, & adeundo ſolus filius non pater obligatur. Sic poſt introducta peculiorum iura ius patris reſtrictum, vt conſentiens vſumfructum ſaltim hereditatis, diſſentiens ne hunc quidem adquirat. Nec patris iuſſu indiget filius nec patri acquirit, ſi hereditatem commilitonis adit *l. 1. & 4. C. d. caſtr. pecul.* Et VLP. *in l. 5. ff. de Caſtr. pec. Miles filiusfamilias a commilitone vel ab eo, quem*

An per Filios familias?

per militiam cognouit, heres inſtitutus & citra inſſum patris, ſuo arbitrio recte pro herede geret. Paucis vt complectamur multa, generali conſecutione concludimus. *Toties filium ſine patris conſenſu adire hereditatem, quoties ex delata hereditate patri nec proprietas nec vſusfructus accedit.*

§. XV.

An tutor adire poſſit?

Videndum etiam paucis de perſonis, quae alieno reguntur auxilio. In fauorem infantum Conſtitutione Valentiniani hereditas per tutorem adiri poteſt ex Praetoris Edicto, idque videbatur ſingulare prorſus, & forte ex Cretionum ſolennitate deducendum. Actus enim legitimus praeſentiam ipſius perſonae, cui adquirebatur, requirebat. De pupillo ita PAULUS *in l. 9. ff de acq. v. omitt. hered. Pupillus ſi fari poſſit, licet huius aetatis ſit, vt cauſam adquirendae hereditatis non intelligat, tamen cum tutoris auctoritate hereditatem adquirere poteſt: hoc enim fauorabiliter eis praeſtatur.* Idque *l. 5. C. d. inr. delib.* eo ſenſu confirmat, vt non poſſit tutor adire hereditatem, niſi ſciente & conſentiente pupillo. Sed & has tricas ex antiqua actuum legitimorum indole deducendas eſſe quilibet facile perſpicit. Meretur ad haec illuſtranda adſcribi ex Cl. HEINECCII *Antiqu. Lib. 1. Tit. 21. §. 2.* vbi ſequentia notat: *Sin infantiae annos ſuperaſſet pupillus, ipſe omnes actiones legis, omnesque contractus poterat expedire, ita tamen vt tutor perfecto negotio praeſens ſtatim auctor fieret, & hinc vocabatur auctoritas. Quemadmodum enim populus iubebat, ſenatus auctor fiebat Liv. Lib. 1. 17. ita pupillus agebat & contrahebat, tutor interponebat auctoritatem, ſine qua validum haud erat negotium ſi quidem deterior eo ipſo fieret pupilli conditio*

tio, aut ſi adeunda eſſet hereditas, aut petenda bonorum poſſeſſio aut ſuſcipienda ex fideicommiſſo hereditas. De furioſo plana quidem & euicta eſt concluſio, quod cum velle nequat, nec hereditatem adire poſſit, *l. 63. ff. d. A. v. O. H.* ſed numne curatore auctore? Negant & hoc INTERPRETES *in l. 5. de R. I.* Prius enim eſſe debet, vt quis ipſe gerat, quam curator geſtum comprobet. Quod ſi admittamus, nihil poſſet curator furioſi nomine expedire. Fluit ergo & hoc ex antiquo iuris praeſuppoſito, quod additioni actus legitimi naturam tribuit. Aſſerunt vlterius, poſſe furioſi curatorem petita bonorum poſſeſſione hereditatem eo effectu adquirere, vt durante furore adminiſtret, ſi vero furens deceſſerit, vel hereditatem, ſi compos mentis factus, repudiauerit, reuerti eam ad quos remoto furioſo peruentura erat. Quod vti expreſſe *l. f. §. 7. & 8. C. d. curat. furioſ.* diſpoſitum, ita forte rectiſſime ius antiquum mutatum dixeris. Confer interim HOTTOM. *Lib. IV. obſ. 6.* De prodigo nota eſt regula in *l. 5. §. 1. ff. d. A. v. O. H. Eum, cui lege bonis interdicitur, heredem inſtitutum poſſe adire hereditatem conſtat.* Sed *num etiam ſine curatore adiens hereditatem obligabitur.* In diuerſas abeunt ſententias interpretes. Nec noſtrum eſt diſſentientium allegare tricas. Inhaeremus potius verbis & analogiae legum. Recordamur in *l. 10. ff. de Curat. fur.* ſcriptum: *prodigo deminutionem bonorum eſſe interdictam.* Inde colligimus prodigum quidem adquirere ſibi adeundo hereditatem poſſe, curatore licet non interueniente, eoque obligari creditoribus, cum adeundi facultas ſine effectu hoc concipi nequeat. Sed vti in diminuendo patrimonio prodigi nulla eſt obligatio; ita factum ſuſcipientis hereditatem damnoſam ſine curatore nullitatis vitio laborat.

An curator furioſi?

An prodigus?

§. XVI.

De muto & surdo hereditatem adeuntibus.

Num mutus & surdus hereditatis negotium ipsi recte peragere queant, dispiciamus, ne & ea, quae rarius contingunt, omisisse videamur. Differendi nobis occasionem subministrat *l. vlt. de V. S.* *Qui mutum*, inquit ICTVS, *exhibet non potest videri eius praestare praesentiam.* Cum qua coniungenda est *l. 134. de R. I.* Inde sequitur, mutum cernere hereditatem non posse, quippe quod citra heredis praesentiam & formulae solennis pronunciationem perfici nequit, quas centies iam adpositas, non iterato obtrudemus dapes, *vid.* VLPIAN *Fragm. tit. 12.* Sed postquam miser ille, qui forum Romanum exercuit, formularum & inanis apparatus desiit, omnis haec corruit dubitatio. Inde pro herede mutum & surdum recte sese gerere, recte asserit VLPIANVS *in l. 5. ff. d. A. v. O. H.* Et quid obstat, quo minus voluntatem nostram de hereditatis adquisitione nutu vel gestu declaremus, postquam in negotio hoc hereditario nudam & simplicem voluntatem nouior iurisprudentia sufficere credidit. Rem eleganter expressit ICTUS *in l. 65. §. 3. ff. ad SC. Trebel.* vbi: *si interrogati NVTV possint significare, velle se periculo suo adire hereditatem.* cf. QVINTIL. *Lib. II. c. 3.* idque exemplo absentis illustrat, qui per *nuncium* adit. Nec, quae antecedunt proxime, verba: *de muto auditus capace* legem solummodo de muto non surdo intelligendam innuunt, cum vocula: *vel* hic non sensum *copulativum*, sed *distinctivum* habeat, eamque exprimat sententiam, qua legem tum de muto auditus capace, tum de eo intelligamus, qui non habita auditus ratione sensa animi annuendo exprimere valet.

§. XVII.

§. XVII.

An per procuratorem adiri queat hereditas, dubium reddunt, quae circa *l. 90. ff de A. v. O. H.* occurrunt altercationes. Disputatum hoc nouimus inter summos iuris antistites. Adducemus duos saltim ex immensa eorum copia, vt demus causae patronos, CVIAC. *lib. 1. obs. 34.* negatiuam, & DVARENVM *Disp. Lib. II. c. 27.* aientem sententiam defendentem. Nobis nihil obstare videtur, quin in castra Duareni transeamus. Scilicet dicitur in *d l. 90. Per procuratorem hereditatem adiri non posse.* Legunt alii pro *procuratore: curatorem*, de quo vide CONTIVM *in succisiuis Lib. 2. c. 17.* Quamcumque amplectamur sententiam, videtur tota illa dispositio antiquum ius de actibus legitimis redolere, adeo vt dissentientibus parum praesidii praestet. Quin immo illud ipsum Digestorum iure iam mutatum fuisse ex *l. 32. ff. Mandati* & *l. 9. ff. si pars hered* colligamus. Nec mouet quod Cuiacio momentum habere videtur, admisso procuratore hereditatem adituro nullam superesse inter bonorum possessionem & hereditatem differentiam. Largimur hoc eo lubentius, quo certius nouimus, ab ipso Iustiniano per Nouellas Constitutiones ius succedendi Praetorium maximam partem sublatum. Et parum interierit, si hanc iuris Praetorii differentiam exoleuisse dixeris. Nec dissentientes iuuat axioma iuris ciuilis: *Per procuratorem nihil nobis adquiri potest excepta sola possessione l. 53. d. A. R. D l. 73 §. 4. d R I l. 1. C. per quas person.* Inde euenit, vt quam nostro nomine mandatarius actionem adquisierit, hanc interueniente cessione in nos transferre teneatur. Satis enim certum

An per procuratorem adiri queat hereditas?

certum cuiquumque eſt, hodie per mandatarium directe adquiri vid. MEV. *P. 11. D. 95.* Confer omnino HOTTOM *Quæſt. illuſtr. c. 34.* Sunt & alii, qui ea ratione procuratorem in adeunda hereditate admittunt, quod ipſum mandatum ſpeciale, quod hic requiritur, ſit loco aditionis *v. l. 25.* & *l. 26. ff. d A v. O. H.* Quod & ipſum probare & in ipſis rerum argumentis obſeruandum eſſe non dubitamus. Idem quoque efficiet ratihabitio, quae poſt hereditatem noſtro nomine a negotiorum geſtore aditam, ſubſecuta eſt. Hanc enim mandato comparari, nemo non nouit. Confirmat hoc, & extra dubitationis aleam ponit regula iuris, qua *ratihabitio mandato comparatur, & ad initium negotii retrotrahitur, quas is, qui ratum habet, ipſe negotium geſſiſſe videtur.*

§. XIIX.

Singularia quaedam de Procuratore Caeſaris in adeunda hereditate.

Non alienum putamus, ab hac, quam ingreſſi ſumus, doctrina, quaedam de Procuratore Caeſaris delatam Caeſari hereditatem adeunte non inutili digreſſione proferre. *Eſt hoc praecipuum*, inquit VLP. *in l. 1. §. 2. ff. de offic. Proc. Caeſ. in Procuratore Caeſaris, quod & eius iuſſu ſeruus Caeſaris adire hereditatem poteſt, & ſi Caeſar heres inſtituatur, miſcendo ſe opulentae hereditati procurator heredem Caeſarem faciat.* Meretur paucis diſquiri, quae ratio fuerit in procuratore Caeſaris, vt iure ſingulari vteretur? Erudite hanc diſquiſitionem executus eſt GVNDLING. *in Diſſ. d. Principe hered. ex teſt. ciuis.* Solebant vero. Iure Romano hereditates caducae ex lege Papia, & bona vacantia ex lege Iulia fiſco a procuratore prouinciali vindicari; hereditates vero ex teſtamento Principi delatas ab ordi-

ordinario fiſci procuratore, interdum ad id ſpecialiter delegato, aut eis qui res priuatas domus auguſtae curabant, ſuſceptas fuiſſe, aſſerit GVNDLING. *cit. Diſſ. cap. 5.* Nec ſemper vero ex ipſis legis verbis, ius adeundi hereditatem Caeſari datum inter praecipua eiusdem muneris procuratorii & ſingularia fuiſſe relatum, adeo, vt ſine mandato Caeſaris ſpeciali id exequi potuiſſe eundem credendum ſit, licet in *l. 46. §. 8. ff. de iur. fiſci: Volenti Caeſari adquiri dicatur hereditas per additionem ſerui iuſſu procuratoris factam.* Intelligendum enim hoc de caſu damnoſae hereditatis, de qua conſulendus Imperator ſecundum *l. 2. ff. d. off. Proc. Caeſ.* quod latius perſequitur AVERAN. *Interp. Juris. Lib. 1. c. 12.* Ipſam vero huius rei rationem rectiſſime in eo ponit GVNDLING. *l. c.* quod Procurator Caeſaris non ſit ſimplex procurator, cuiusmodi ſunt procuratores priuatorum, ſed ad iura patrimonii tam publici quam priuati tuenda conſtitutus. Qui ad obeunda reipublicae munera conſtituuntur, iis hanc poteſtatem competere dicendum, vt omnia poſſint agere, quibus Principis cauſa melior redditur, adeo, vt ſi haec transferamus ad praeſentem cauſam, non adire ſolum Procurator Caeſaris hereditatem potuerit debueritque, ſed & aditam defendere, lites hereditarias peragere, aes alienum ſoluere. Sic adquiſita hereditas ſolemni ſubſecuta declaratione, quam incorporationem dicunt, ſacro patrimonio addicebatur.

§. XIX.

Inter perſonas, quarum res aliena opera adminiſtrantur, memorandae veniunt vniuerſitates & cauſae piae. Municipia adire poſſunt hereditatem.

Cum enim, quae ad vniuerſos ſpectant, ab vniuerſis expediri commode nequeant; ſuadent & vrgent regulae prudentiae, vt negotia publica ab vno aut paucioribus vniuerſitatem repraeſentantibus ſuſcipiantur. Hinc ſi forte perſonae myſticae, quarum nomine ciuitates, collegia, vniuerſitates, & corpora ciuili ratione vnita veniunt, heredes inſtitutae, non poſſunt alia ratione, quam miniſterio alterius ipſas repraeſentantis, adire hereditates. Has olim Philoſophia JCtorum Romanorum inter perſonas incertas retulerat, quae, vt loquitur VLP. *in fragm. tit. 22. neque cernere neque pro libitu decernere poſſunt, vt heredes fiant*, ſeu non poſſe omnes de populo & vniuerſitate cernere hereditatem, aut de ea ſuſcipienda decernere. Inde heredes ſcribi ſupremis tabulis per aliquot ſecula, vt ex PLINII *Lib. 5. Epiſt. 7.* ſatis apparet, prohibebantur, donec tandem *SCto Aproniano* municipia ad hereditates per fideicommiſſum delatas, aut a libertis relictas, ſuſcipiendas admiſſa. Rem PAULUS *in l. 26. ff. ad. SCtum Trebell.* ita expreſſit: *Omnibus ciuitatibus, quae ſub imperio populi Romani ſunt, reſtitui debere & poſſe hereditatem fideicommiſſam Apronianum SCtum iubet.* Merentur etiam, quae ſequuntur *l. 27.* adiici. Ita tamen in illa ſcriptum legimus: *vt his, quibus reſtituitur hereditas, actorem eligant & ad agendum, & ad excipiendas actiones.* Ipſa municipiorum ratio & regiminis forma, quae ad perfectiſſimum Romanae Ciuitatis exemplum conſtituta, perſuadent non ſolum, ſed conuincunt res municipiorum per Curiales procuratas: & adeo quis negaret, delatas municipio hereditates, communi Curiae municipium repraeſentantis conſenſu ſuſceptas, & per delegatum aditas poſſeſſaſque, aerarioque municipali addictas, per Quaeſtorem curialem adminiſtratas fuiſſe.

Eadem

Eadem ratione, vt GALVANVS *de vſufructu p. 524.* de poſſeſſione municipio adquiſita ſequentem in modum pronunciat: *Cum tota ciuitas conſentire nequeat, ſaltem interpretatione iuris conſentire intelligitur per eos, qui legitimo numero congregati totam ciuitatem imaginatione iuris repraeſentare intelliguntur. Quo fit, vt ſuppleto hoc animi defectu ciuitas ex aequitate interpretatiuam poſſeſſionem obtineat.* Et in hunc ſenſum loquitur PAPINIANVS *l. 14. ad Munic. Municipes*, dicens, *intelliguntur ſcire, quod ſciant hi, quibus ſumma Reipublicae commiſſa eſt.* Et SCAEVOLA *in l. 19. eod. Quod maior pars Curiae effecit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint.* Inde in *l. vn. §. 1. ff. de libert vniu.* petere bonorum poſſeſſionem *per alium* dicitur municipium, & ſatis neruoſe adiicitur: *Qua ratione ſenatus cenſuit, vt reſtitui eis hereditas poſſit, & qua ratione eis heredibus inſtitutis adquirere hereditatem permiſſum, ita quoque B. P. petere poſſunt.* Demum quod municipibus conceſſum *l. 12. C. de her. inſt* ad quasuis vniuerſitates & corpora licita primum ex ſpeciali priuilegio extenſum. Idque confirmant verba *l. 8. C. d. t.* vbi ita IMPER. HADRIANVS. *Collegium, ſi nullo ſpeciali priuilegio ſubnixum ſit, hereditatem capere non poſſe, dubium non eſt.* Exemplum, quod huc pertinet, occurrit in *l. 1. C. d. hered. decur.* Sic quoque cohors adquirit ſucceſſionem commilitonis absque herede decedentis *l. 2 C. eod.* Et porro in Decurionum ſiue Decurialium inteſtatorum bona, ſi ſine ſucceſſoribus moriantur, ordo patriae ſiue ſenatus & curia ſuccedit *l. 4. C. eod.* Idem ſancitum de Fabricenſibus *l. f. eod.* hac addita ratione: *Hoc facto contingit, vt & Reipublicae ratio ſalua permaneat: Et Fabricenſes collegarum ſuorum ſolatiis perfruantur, qui damnis ac detrimentis tenentur obnoxii.* Vti enim in criminis ſpeciem

incidebat, ſociare aut vnire corpus citra principis conſenſum; ita quae licito modo coiuerant collegia, iure vniuerſitatum gaudebant & moralem perſonam ſuſtinebant. Confer. Cl. HEINECC. *diſſert. de colleg & corp. opif.* Inde facilis conſecutio, quod cum vniuerſitatibus, vt loquitur *l. 1. § 1. ff. quod cuius. vniuerſ nomine ſorem ſine ſyndicum habere liceat, per quem tanquam in Republica, quod communiter agi fierique oporteat, agatur,* hereditates quoque delatas per eundem adiuerint.

§. XX.

Quaedam de Collegiis hereditibus inſtitutis.

Placet his varia adiicere, quae ad dicta illuſtranda faciunt. Sic haec meditantibus occurrit *l. 20. ff. d. reb. dub.* vbi ita PAVL. *Cum ſenatus temporibus Diui Marci permiſerit collegiis legare nulla dubitatio eſt, quod, ſi corpori, cui licet coire, legatum ſit, debeatur: cui autem non licet, ſi legetur, non valebit, niſi ſingulis legetur; hi enim non quaſi collegium, ſed quaſi certi homines, admittentur ad legatum.* Hac lege SCtum Aproniianum intelligi, in praeſentiarum non diſputabimus vid. interim V. Cl. HEIN. *Antiqu. L. II. tit. XIV. §. 2.* Sed quid vetat haec, quae de legatis ſcripta ſunt, ad hereditates transferre? ſcriptis ergo ſodalibus heredibus, quorum in vnum corpus collectio principis auctoritate deſtituitur, valida erit teſtatio voluntatis vltima, eo effectu, vt quiſque pro ſua parte hereditatem adeat, idque cumprimis eo caſu ſi eius generis ſodalitii finis nihil illiciti habeat. Ceterum, quod ſupra § XVII. monuimus, ex quorum iam ICtorum ſuffragio, aditam cenſeri hereditatem, datione ſpecialis mandati de adeunda hereditate, id etiam in collegiis per Syndicum adeuntibus applicari poterit,

poterit, adeo, vt aditio ex collegii iuſſu ad Syndicum directo naſcatur, huius vero factum & mandati executio magis rerum hereditariarum poſſeſſionem, aut actualem pro herede geſt onem reſpiciat. Nec nobis ſilentio praetermittenda ſunt exempla teſtamentorum, quibus populus Romanus heres ſcriptus eſt. Sic CICERO Romani iuris ſcientiſſimus *Secunda in Rullum cap. 15.* de regis Bithyniae Nicomedis teſtamento, quo populum Romanum heredem ſcripſerat, refert: *hereditatem, in qua creuimus*, inquit, *regnum Bithyniae.* Et FLOR. *Lib. II. c. 20.* de Attali regis Pergamenorum hereditate teſtamento Romanis delata tradit, quod *adita hereditate* prouinciam populus Romanus nec bello nec armis, ſed quod eſt aequius teſtamenti iure retinuerit. Videntur tamen exempla haec egredi Sphaeram noſtrae diſſertationis. Vti mero iure gentium reguntur teſtamenta ſummorum imperantium; ita & aditio hereditatis ex iisdem delatae heredibus, qui ſuperiorem non recognoſcunt, iuris ciuilis regulis cenſetur ſoluta. Sed vel ideo haec adducere placuit, quia exinde colligimus, ipſam hereditatis aditionem iuris gentium eſſe, nec ſine ea heredem obligari, quod ſuo loco demonſtratum dabimus.

§. XXI.

Quis pro Eccleſia adeat hereditatem?

Eccleſiam, quae olim illicitis collegiis annumerabatur, ſi de primis Chriſtianorum coitionibus hoc intelligas, non potuiſſe heredem inſtitui, certiſſimum eſt. Poſtquam vero halcyonia eccleſiae, conceſſa, edixit CONSTANTINVS *in l. 1. d. SS Eccleſ. Habeat vnusquiſque licentiam Sanctiſſimo Catholico venerabilique concilio decedens*

bonorum, quod optauerit, relinquere. Equidem Romani teſte BYNKERSHOECKIO *in diſſ. de cultu religionis peregrinae cap. 2.* non videntur tam infenſo odio ſacra peregrina & a ſuis diuerſa fuiſſe perſecuti, vt prorſus religionis cauſa coire vetitum fuerit. Sola publicae ſalutis cura & metus Reipublicae ſub ſpecie religionis perturbandae eos interdum in Chriſtianorum perniciem armauerat. In hunc ſenſum MARCIANVS *in l. 1. §. 1. ff. de colleg. & corp.* *Sed religionis cauſa*, inquit, *coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra Senatus conſultum, quo illicita collegia arcentur.* adde *l. 2. ff. de extraord. crim.* Imo potius non permiſſa ſolum ſacra peregrina, ſed & Deos hoſpites in ciuitatem receptos, mox quoque ſuadente ciuitatis ſalute iterum eiectos fuiſſe, docent exempla apud VALER. MAXIM. *Lib. 1. c. 3.* Et de Iudaeis refert BYNCKERSHOECK *l. c.* Auguſtum eorum per Aſiam coetus, qui religionis cauſa habebantur, defendiſſe, quia neque luxus, neque turbandae pacis pericula inde metuebantur, de quibus idem Imperator teſte PHILONE *in Legatione p. 1035. ſeq.* hiſce verbis vtitur: *eos haud bachanalia eſſe, aut coetus turbandae pacis, ſed virtutum ſcholas.* Mirum videri poſſet, cur Romani tantopere in Chriſtianos ſaeuierint, niſi teſte hiſtoria antiquitatis ſciremus, ipſis, vel quod abnuerent Imperatorum imaginibus ſolenni ritu ſupplicare, vel quod ſacra antelucana coluerint, ſeditionum molimina obiecta fuiſſe. Sed plenius haec executus eſt FRANCISCVS BALDVINVS, qui Imperatorum edicta contra Chriſtianos ſingulari tractatu exhibuit. Nec noſtrum eſt his immorari. Poſt Conſtantini tempora inſignis Chriſtianae religionis fauor ampliſſimas eccleſiae diuitias peperit. Non negandum eſt,

ad

ad parandas has opes teſtamenta multum contuliſſe. Probant hoc, quae poſtera aetas de teſtamento ad pias cauſas condito inſtituit, *vid. cap. 11. X. de Teſtam.* Inualuerat quoque, vt Chriſtum, Archangelos, Angelos, Martyres, Sanctos, heredes inſtituerent. Luculentum nouioris aeui exemplum MEICHELBECKIVS *in Hiſt. Friſing. Tom. I p. 367.* refert, vbi Albertus Friſingenſis eccleſiae epiſcopus Virginem Mariam, Mariam Magdalenam, Martham, Annam, Ioannem Baptiſtam, Sanctum Corbonianum aliosque Sanctos & Martyres, rerum ſuarum omnium, vnicos heredes ſupremis tabulis eſſe voluit, ne obulo quidem conſanguineis ſuis relicto. Tabulae integrae, ſi lubet *l. c.* videri poſſunt. Non diſquirimus, an mos iſte olim ad veſtigia ſuperſtitionis creſcentis aut adultae referendus ſit. Forte mos iſte ideo commendatus & propagatus fuit, ne ſumptus in ſacrorum conſtitutionem & alimenta ſacerdotum faciendi nimium premerent rempublicam. Sic in *l. 26. pr. C. de SS. Eccleſ.* de Chriſto herede inſtituto occurrunt ſequentia: *Sancimus, ſi quidem Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM ſcripſit quis heredem, vel ex aſſe, vel pro parte manifeſto videri ipſius ciuitatis, vel caſtelli, vel agri, in quo conſtitutus erat defunctus, Eccleſiam Sanctiſſimam inſtitutam eſſe heredem, & hereditatem peti debere per Deo amantiſſimos eius Oeconomos.* & in §. 1. *l. c.* IMPER. ita pergit: *Si vero vnius ex Archangelis meminerit, & Venerandorum Martyrum, nulla facta aedis mentione, ſiquidem aliquis ſit in illa ciuitate vel vicinia eius venerabilis locus in honorem illius reuerendiſſimi Archangeli, & Martyris conſtructus, videri ipſum ſcripſiſſe heredem.* Nouimus etiam auaritiae clericalis praetextus, dum adquiſitas eccleſiarum opes inſigni & ad excitandam Laicorum libera-

beralitatem apto elogio, patrimonium pauperum immo Dei & Chriſti dixerunt *vid. omnino c. 65. C. 16. qu 1.* Addemus his ingenioſam illam aeque ac lepidam ad diſponendum in fauorem pauperum commendationis ſpeciem a GRATIANO inuentam, quam in *cap. 8. C. 13. qu. 2.* ita nobis exhibet: *Qui vnum filium habet, putet Chriſtum alterum: duos habet, putet Chriſtum tertium, decem habet Chriſtum vndecimum faciat & ſuſcipio.* Crediderunt enim olim homines eo citius allici poſſe, ad bona ſua in Chriſti reliquorumque patrimonium conferenda, ſi hiſce titulis incruſtarentur, adde *cap. 2. X: de conſuetud.* Vide plura apud BOEHMERVM *in Iure Eccleſiaſtico Lib. III. Tit. 5. §. 7. ſeqq.* conferri quoque meretur Illuſtr. RECHENBERGII *Diſp. de eo, quod in piis cauſis impium eſt*, vbi *p.* 29. ita: *Imprimis illum morem reprobo, qui ſuperioribus ſeculis in Gallia inualuerat, vt qui teſtamento nihil Curionibus aut Collegiis Eccleſiaſticis legaſſet, honore ſepulturae careret: Si quis autem inopinatò caſu obiiſſet, ſacrificulus Pontificis iuſſu, mortui loco teſtamentum conderet, & quae vellet, Eccleſiae arbitratu ſuo quaſi teſtator legaret. Feliciſſima ſane ratione hac in parte Caligulam imitati ſunt, qui plurimos ſenatores Romanos enecabat, & teſtamentum poſtea conficiebat, in quo ipſe heres ex aſſe ſcriberetur.* Sed vti abuſus non tollit vſum, & modicae opes eccleſiae non inuidendae ſunt; ita nec eſt ſimpliciter Eccleſiae adquiſitio ex iure hereditario prohibita, cuius praeter inſtitutionem per teſtamentum factam ille cum primis memorandus caſus ſucceſſionis ab inteſtato, quo Eccleſia Parochialis Parocho, nullis cognatione iunctis exiſtentibus, excluſo Fiſco, ſuccedit. *h. 20. C. de Epiſc. & Cler.* Quicunque vero caſus extiterit collatae in Eccleſiam vel piam cauſam ſucceſſionis

ceſſionis, quis Eccleſiae nomine hereditatem ſuſcipiat, videndum. Certum & euictum, pias cauſas iure pupillorum frui *c. 1. & 3. X. d. in integr. reſt.* Et intereſt omnino notante *l. 14 pr. C. d. SS. Eccleſ.* vt patrimonium Eccleſiae ſeruetur illaeſum. Quare recte conſtituuntur adminiſtratores, qui veluti tutores res Eccleſiae curant, & adeo delatam hereditatem ſuſcipere tenentur, quae, ſi forte ſit non omni ex parte Eccleſiae proficua, proderit ex decreto magiſtratus Eccleſiaſtici hereditatem ſuſcipere.

§. XXII.

Quomodo hereditas Diis relicta adeatur.

Dum hoc meditamur, eius quoque iuris recordamur, quo Roma quondam vſa eſt; quoue Deos Deasue heredes ſcribere licuit. Licet enim Romani, cum de Diis ſententiam ſouerint, vt re nulla indigerent, adeoque damnarint inconſultam illam in Deos liberalitatem, quae damnoſa interdum priuatis, & publicae rei forte periculoſa eſſe poteſt; placuit tamen ſucceſſu temporis quoſdam ex ordine Coeleſtium, quem effinxerant, communicato cum iisdem *Jure liberorum* per Conſtitutiones Principum hereditatum capaces reddere. Nec deerant Romanis rationes, quibus hanc ſententiam defenderent. Non putabant Diis conuenire ritus illos, licet forte per Flamines vel Pontifices nomine Deorum Cretio perficeretur, & abſurdum illis videbatur, Deos defunctorum obligationibus obſtringere. Teſtes in fidem huius rei omni exceptione maiores producere licet duos maxime, alterum VLPIANVM *in Fragm. tit. 22. §. 6.* alterum DIONEM *Lib. LV.* Ridiculam cumprimis notamus rationem, qua Romani Deos ad adquiſitiones hereditarias habiles reddiderunt.

De quo vti fusius egit DN CONRADVS nunc ICtus Helmstadensis *in Dissert. de Diis hereditibus.* Ita in eadem de hoc liberorum iure cum Dis communicato ita disserit: *Dum Dii capaces hereditatum ex testamento facti, reuera non id actum crediderim, vt Dius ius liberorum illud famosum, ex L. Iulia & L. Papia Poppaea ortum, concederetur, quam potius, vt Deos, qui & matrimonia colere, & liberos ex iis suscepisse tradebantur, suo facto coniugia prolisque gignendae studium praecipere mortalibus atque commendare significarent; tum quoque, vt Deos in communionem iuris liberorum vocando, animos honoris cupidos aemulatione, seque Diis quodammodo similes praestandi opinione accenderent.* Hoc ergo casu existente non dubium aditionis negotium vel per Pontifices, aut horum iussu & arbitrio per Flamines, horumque sodales, quorum curae donaria, Deorumque opes commissae, fuisse peractum. Nec deessent forte exempla, si has antiquitatum tenebras curiosius perscrutari animus esset.

§. XXIII.

An sub conditione aditio quae hereditas.

Inter eas doctrinas, quae modum adeundae hereditatis declarant, locum quoque obtinet illa quaestio: *An aditio sub conditione recte perficiatur?* Mouent illam INTERPRETES maxime occasione *l. 77. ff. de R. I.* cuius iam supra mentionem fecimus. Respuit ex huius sententia aditio conditionem, idque ex natura actus legitimi, qui puram agentis consensionem requirebat. Idem adstruit *l. 51. §. 2. ff. de A. v. O. H.* vbi reiicitur aditio sub conditione, *si hereditas soluendo sit.* Occurrere & hic antiqui iuris vestigia certissimum est. Placet hanc in rem adferre

ferre ſententiam, quam magni nominis ICtus AVGVST. LEYSERVS *in Med. ad Pand. Sp. CCCLXX. Med. vlt.* expreſſit. Ita vero ille: *Omnes fere Interpretes hereditatem pure adeundam eſſe dicunt, prouocantque ad l. 77. de R. I. in qua hereditatis aditio in totum per temporis vel conditionis adiectionem vitiari dicitur. Et recte quidem ita, ſi ius Romanum antiquiſſimum explicandum eſſet, quo hereditatis aditio actus legitimus erat, cuius natura in ſolennibus & conceptis formulis conſtabat. At poſtquam vetera illa Cretionum ſolemnia per l. 17. C. de Iur. delib. ſublata ſunt, hereditatis aditio actus legitimus eſſe deſiit, atque temporis & conditionis adiectionem admittere cepit. Admiſit eam iam Iuſtinianus in l. vlt. C. de Iur. deliber. Nihil enim aliud eſt aditio hereditatis cum beneficio inuentarii, quam aditio ſub conditione, ſi hereditas ſoluendo ſit. Igitur interpretes hi, de quibus ab initio dixi, aut errant, aut de iure ante-Iuſtinianeo intelligendi ſunt* Videtur his, quae a Leyſero dicta ſunt, ſuffragari *l. 23. ff. de his, quae in fraudem credit.* Digna nobis videtur legis ſententia, quae explicetur paulo curatius. Quod vt fiat, praemittenda ſunt verba legis, quae ita ſtant: *Primo gradu ſcripti heredes cum animaduerterent, bona defuncti vix ad quartam partem aeris alieni ſufficere: famae defuncti conſeruandae gratia, & conſenſu creditorum auctoritate Praeſidis Prouinciae ſecundum Conſtitutionem ea conditione adierunt hereditatem, vt creditoribus duntaxat partem praeſtarent.* Duo ex hac lege notamus, alterum, quod contentu creditorum, alterum, quod approbante Praeſide Prouinciae ſiue Magiſtratu conditionata procedat aditio. Primum communi regula iuris defendi poſſet, quia quiuis iuri pro ſe introducto renunciare poſſe dicitur, ſi certum euictumque eſſet reiectionem conditionis in ade-

unda hereditate creditorum ſolummodo cauſa & commodo eſſe introductam. Enata eſt haec doctrina ex antiqua actuum legitimorum natura, quam ſolennitatis gratia ita deſcriptam eſſe nouimus, *confer* hic omnino HOTTOM. *Quaeſt illuſtr. quaeſt 34.* Sed ſi tatendum, quod rei veritas euincit, poſtquam veſtigiis iuris antiqui inhaerere nulla ratione cogimur, omnino praeter creditores nullius videtur maximopere intereſſe, quis & qua ratione heredis vicem ſubeat, ſi legatarios exceperis, de quibus ſimilis ferme caſus occurrit, in *l. 73. in f. pr. ad L. Falcid.* adeo, vt ex dicta lege tuto inferendum eſſe credamus, valere conditionatam hereditatis aditionem conſentientibus illis, quorum intereſt. Quod de conſenſu Praeſidis adiectum legimus, probabile eſt, in vim cautionis & ſecuritatis gratia factum. Transactionis ſpecies in dicta lege latet, quae licet non ſemper auctoritatem iudicis ad id requirat, vt legitima ſit, conciliat tamen eidem accedens iudicis auctoritas valorem praeſumptionis.

§. XXIV.

An hereditas pro parte adiri queat?

Cumque, vt eſt in *l. 7. de R. I. ius noſtrum non patiatur, eundum in paganis teſtato & inteſtato deceſſiſſe*, idque vel ideo, quia teſtamentum ſine herede eſſe nequit, qui in vniuerſum ius ſuccedit, & defunctum repraeſentat, ita non alienum ab inſtituto noſtro putamus, diſquirere, *an quis pro parte hereditatem adire queat?* ait PAVLVS *l. 1. ff. h. t. Qui totam hereditatem adquirere poteſt, is pro parte eam ſcindendo adire non poteſt.* Et porro VLPIANVS *l. 2. eod. Sed & ſi quis ex pluribus partibus in eiusdem hereditate inſtitutus ſit, non poteſt quasdam partes repudiare, quas-*

quasdam agnoscere. Idem occurrit in *l. 80. §. 1 h. t.* Et sic principium & conclusiones iuris Romani apprime conspirant. Vti enim aditio supponit hereditatis delationem, *l. 8. & 9. C. de iure deliberandi* ita ex delationis modo & indole ad additionem validum argumentum esse consequitur. Ita enim signate pronunciat *l. 151. ff d. V. S. Delata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi.* Inde viterius sequitur, quod forma delationi a legibus praescripta, obseruanda quoque in adeunda hereditate. Cum ergo heres defunctum repraesentet; ipsa vero naturalis ratio euincat, hominem viuum pro parte repraesentari non posse; nec legis fictio, naturae solers imitatrix, post mortem repraesentare quem pro parte saltem permittit. Et inde est, quod in *c. l. 7. d. R. I* ἐμφάσιν dicatur: *quod inter casum testati & intestati naturaliter pugna sit.* Et sicut non plus potest acquiri ex hereditate, quam datum, ita nec minus; sed aut omne suscipiendum aut omne repudiandum. Ita SCHILT. *Ex. ad Pand. XXVIII §. 149.* Subiungemus his GAII sententiam, quam hac de re in *l. 7. ff. de bon. lib.* hoc modo expressit: *Absurdum videri licere eidem partim comprobare iudicium defuncti partim euertere.* Iunge *l. 53. ff. de A v. O. H.* Quod nec iure Praetorio mutatum ex *l. 2. §. 2. ff. de B. P. s. t.* apparet. Sed quid iuris de herede in re certa instituto, num hunc forte hereditatem pro parte adire dicemus? Non abs re erit, haec ita explicare, vt non negligamus ea, quae ad instruendam nostram dissertationem faciunt, euitata de herede singulari disquisitione, cui ex parte satisfecit Illustr. BERGERVS *in Diss. de herede in re certa instituto.* Dicimus autem heredem in re certa institutum, cui certa species titulo hereditario relinquitur, adeo vt

eo referri queant, quaecunque in hereditate deprehendantur, nec genere, nec quantitatibus exclusis. Sicque patet talem heredem ratione institutionis verum esse heredem, eumque tituli vniuersalis commodo gaudere; ratione rei vero, quam capit, tum a partiario, tum ab vniuersali herede differre. De hoc generalis prostat regula, *quod heres in re certa institutus legatarii loco censeatur, si coheredem habeat; hoc vero deficiente totum as hereditarium iure accrescendi adquirat l. 13. C. d. her. inst. l. 35. ff. de hered. instit.* Quotiescunque ergo heres in re certa institutus legatarii locum tuetur, legatarii quoque iure fruitur, nec opus habebit aditione, cum legatum ipso iure acquiratur *l. 64. d. furt.* Quod si totam hereditatem capit, eam non nisi adeundo acquirit, quo casu idem ius seruabitur, quod aliis heredibus scriptum est. Differentiam hanc successoris vniuersalis & singularis egregie exprimunt verba *l. 80. ff. d. legat. 2. Legatum ita dominium rei legatarii facit, vt hereditas heredis res singulas: quod eo pertinet, vt, si pure res relicta sit, & legatarius non repudiauit defuncti voluntatem, recta via dominium, quod hereditatis fuit, ad legatarium transeat; nunquam factum heredis.* Ceterum heres ex parte hereditatis quota constitutus, vti verus heres est, ita & in adeunda hereditate heredis iure vtitur, nec est, vt de hoc plura moneamus. Nam vt paucis rem complectamur, *ea ratione hereditatem adit, qua ei delata est.* Postremo id adhuc libet annotare, vera haec omnia esse si de iuris regula, quam seruabant Romani, loquamur. Cum autem & casus occurrant, quibus ex accidente quis pro parte testatus intestatusque decedit, vti notat BOEHMER *Iur. Dig. tit. de Inoff. Test. §. 17.* intimulque ordinaria iuris regula exulet in actu militi, bono-

bonorum caſtrenſium intuitu *l. 6. ff de teſt. milit.*; ita & antiqui & noui iuris ſententiam imitandam cenſemus, vt preſſo, quod aiunt, pede aditio ſequatur inſtitutionis modum. & *quoties illa pro parte facta ſuſtinetur, toties nec aditio totum afficiat defuncti patrimonium l. 1 C de ſecund. nupt.* Plura de his infra *Cap II. § 21.* dicturi ſumus.

§. XXV.

An heres cogi poſſit ad adeundam hereditatem?

Quod alias communi axiomate dicitur: *Inuito non dari beneficium*, illud nobis diſquirendi anſam praebet: *An inuitus ad adeundam hereditatem cogi poſſit?* In vtroque tam Ciuili quam Canonico iure occurrunt quaedam, quae ſcrupulum mouent & diſſenſus materiam praebent. Allegari ſolet hanc in rem *SCtum Trebellianum*, cuius ea finalis ratio laudatur, quod cogat fiduciarium heredem ad adeundum vid. *§. 7. Inſt. de fideic. hered.* In has quoque partes vocare ſolent *Nou. 1.* qua, dum heredibus ſcriptis abſoluta neceſſitas imponitur adimplendi voluntatem defuncti, adeo vt herede renitente ad adeundam hereditatem euocentur, quibus aliquid legatum, vel fideicomiſſo datum eſt; inferunt inde & concludunt, heredem, cuius vtilitati leges per Falcidiam proſpexerunt, ad agnoſcendam hereditatem cogi poſſe. Quod ad ius Pontificium attinet, prouocant ad Conſtitutionem GREGORII *IX in c. 3. X de teſtam. & vlt volunt.* Addunt *c. 6. 17 & 19. ibid.* Videri & euolui ad hoc illuſtrandum queunt, qui vtriusque iuris differentias collegerunt, ex quibus HAHN. & RITTERSHVS. nominaſſe ſufficiat. Sed his argumentis, num quid contra libertatem adeundae hereditatis efficiatur, videamus. Totam SCti Trebelliani

belliani hiſtoriam texere noſtrum non eſt. Norunt abunde, qui Iuris ciuilis ſacris initiati, IVSTINIANVM SCtum Trebellianum cum Pegaſiano teſte §. 7. *Inſt. d. Fideicommiſſ. hered.* ita vniuiſſe, vt accepta quarta heres fiduciarius ad adeundam reſtituendamque hereditatem cogi poſſet. Inde profluxiſſe videntur, quae leguntur in *l.* 4. & 63. *ff. ad SCtum Treb.* & *l.* 2. §. *f. ff. de ſuis & leg. hered.* Sed noua legislatione hanc aditionis neceſſitatem in *Nou. l. c.* 1. §. 1. remiſſam eſſe patet, qua repudiante fiduciario ipſi fideicommiſſario ſuscipere hereditatem permittitur. Quod ab humanitate & aequitate non abhorret. Recte enim VLPIANVS *in c. l.* 4. *ait*: *Non praeſcribi heredi inſtituto debet, cur metuat hereditatem adire, vel cur nolit: cum variae ſunt hominum voluntates, quorundam negotia timentium, quorundam vexationem, quorundam aeris alieni cumulum, tametſi locuples videatur hereditas, quorundam offenſas, vel invidiam quorundam gratificari volentium his, quibus hereditas relicta eſt ſine onere tamen ſuo.* Pontificum Decreta notante SCHILTERO *in Exerc. ad ff. XXVIII.* §. 156. non de aditione, ſed de executione teſtamenti agunt. Inconcuſſa ergo hereditatis acquirendae vel repudiandae libertas manet, & aſſeritur *l.* 3. §. 3. *ff. d. B. P. d. l.* 16. *C. d. adit. hered.* Quid igitur ſi metu coactus quis adiit? Heres efficitur, quia etiam coactus voluit, ſalua reſtitutione in integrum. Idem teſtatur JCTVS *in l.* 21. §. 5. *ff. quod met. cauſ.* & *l.* 85. *d. A. v. O. H.* Ex eodem fundamento fluit, aditionem ſimulatam effectu deſtitui *l.* 6. §. *vlt. eod.* Videntur hic quadrare, quae habet ICTVS *in l.* 73. *pr. ff. ad L. Falc.* In diſquiſitionem eo loco venerat, quaenam patrimonii hereditarii quantitas in detrahenda Falcidia ſpectanda ſit? Reſpondet ICTVS: *In quantita-*

Metu coactus heres efficitur.

te

te patrimonii exquirenda viſum eſt tempus mortis ſpectari, & ſi forte detrimenti quippiam poſtea paſſa ſit hereditas, id heredis damno cedere pronunciat, hancque addit rationem: *Nec ea res damnoſa eſt heredi, cui liberum eſt non adire hereditatem quae res efficit, vt neceſſe ſit legatariis, ne deſtituto teſtamento nihil conſequantur, cum herede in portionem legatorum paciſci.* Denique quod de pacto legatariorum cum herede *l. c.* notat, ad omnes, quorum intereſt, proferre nihil prohibet, adeo, vt interuenienie pacto aditionis libertas reſtringi queat, ſiue creditoribus, ſiue legatariis, ſiue ipſo teſtatori de ſuſcipienda hereditate heres fidem ſuam conuentione adſtrinxerit.

§. XXVI.

Aditio hereditatis nec forum competens, nec alias ſolennitates requirit.

Haec de adeunda hereditate voluntatis declaratio nec certo loco adſtricta eſt, nec iudicis auctoritatem requirit, nec teſtium praeſentiam, nec ſcripturae ſolennitatem. Nec quod ſuo loco obſeruauimus, de Cretione eiusque ſolenni ritu, quem tenuit vetus Roma, ad ſtatum Iuris a Iuſtiniano emendati trahendum. Suadet interdum prudentia, vt fiat aditio in loco iacentis hereditatis, aut alibi iam peracta ibidem reiteretur, aut coepta in foro domicilii, vbi conſtitutam habuit fortunarum ſedem defunctus, lite, probanda ſit. Quae omnia ex variis cauſarum figuris aliisque factorum circumſtantiis ponderanda veniunt. Supra retulimus Romani Iuris ſententiam, qua aditio *nuda voluntatis declaratione* perficitur. Quod vti veriſſimum; ita patet nulla modum aditionis ſolennitate circumſcriptum. Ceterum aditionis probationem non ſcriptura ſolum, ſed iudicialis etiam auctoritas, teſtium-

ſtiumque praeſentia prodeſſe poterit. Quod ſi vero heredi iudiciali declaratione in adeunda hereditate defungi placuerit, cuiuslibet iudicis auctoritas ſufficiet. Haec enim declaratio, vti nulla indiget iudicis confirmatione; ita recte inter actus, quos ſtylo forenſi voluntariae iurisdictionis dicimus, refertur. Aliud omnino ius Ciuile in agnoſcenda Bonorum Poſſeſſione ſeruat. Haec enim non priuata & qualicunque declaratione perficiebatur, ſed a Praetore conceptis verbis impetranda erat. Edicto enim Praetor dum ſupplebat defectus iuris Ciuilis, ad aequitatis quidem normam ius Ciuile, cuius ideo *viua vox* dicitur ius honorarium in *l. 8. ff. d. I. & I.* redigere ſtudebat; non tamen intermiſit, leges ſuas variis modis ad indolem iurisprudentiae formulariae & genium ſuae reipublicae effingere. Quod etiam bonorum Poſſeſſioni accidit. Omnia, quae huc pertinent, exponere, alienum a ſcopo noſtro videtur. Quae noſtra illuſtrant, dabit breuis *l. f. C. qui adm. ad Bon. Poſſeſſ.* exegeſis. Ita vero Imperator CONSTANTINVS *in cit. leg. vt verborum*, inquit, *inanium excludimus captiones; ita hoc obſeruari decernimus, vt apud quemlibet iudicem vel etiam apud Duumuiros,* Fuiſſe olim mixti imperii, decernere B. Poſſeſſionem, certum eſt. Inde ad Praetorem aut Praeſidem, non vero municipalem iurisdictionem pertinebat, v. CUIAC. *Lib. XVII. obſ. 19.* Sed mutata iurisdictionis iudiciorum forma, dicta lege hoc mutatum deprehendimus. Et Edictalis quidem B. Poſſeſſio coram quocunque iudice, & absque cauſae cognitione, ſeu, (vt loquebatur vetus Roma) de *piano* petebatur, dabaturque ſiue ad fundandum ius ſucceſſionis, ſiue ad illud, quod iure ciuili datum erat, confirmandum, haecque a quocunque iudice impetrari poterat, vt

Quomodo B. P. agnoſcenda.

verba

verba legis noſtrae probant, nec fori competentiam deſiderabat. E contra decretalis & iudicem competentem & contradictorem & decretum requirebat *l. 2. §. 1. ff. quis ord. in B. P.* dabaturque interdum litis ſolum ordinandae aut agnoſcendae cauſa, vt de filio querelam inofficioſi teſtamenti agitante notat *l 6. §. f. l. 8. ff. pr. d. inoff. teſt.* Cumque omnis B. P. eſſet ex Edicto, decreti vero neceſſitas nascebatur ex eo, quod adeſſet contradictor, patet hanc differentiam mere accidentalem eſſe. Patet inde vlterius legem noſtram de ſola loqui edictali, cum decretalis ad Duumuiros non ſpectauerit; quippe quibus ius decreti interponendi non competebat *l. 4. §. 3. ff. d. dam. infect.* Quae ſequuntur in dicta lege verba, ita fluunt: *qualiscunque teſtatio amplectendae hereditatis oſtendatur, ſtatutis priſco iure temporibus coarctanda.* Nuda ergo voluntatis declaratione agnoſcitur B. P. & faceſſere iubetur quicquid formularum ſolenniuin mediae iurisprudentiae ſolertia inuexerat. Quo ipſo non poſſumus non eorum notare errorem, qui facto etiam coram iudice ſuſcepto eandem agnoſci putant, qualia exempla adducit STRYCKIVS *in Tr. de ſucceſſ. ab inteſt. p. 947.* Porro nulli B. P. obuenit, niſi petenti, eoque ipſo ne ſui quidem heredes ad eandem alia, quam agnitionis iudicialis via adſpirant *l. 3. §. 3. ff. d. B. P.* Nam quod VLPIANVS *in l 3. §. 4 ff. d B. P.* ait, *habere municipium B. P. Praetoris Edicto*, id eum ſolum ſenſum habet, quod Praetor eidem contra praeſcriptionem velut breui manu ſubuenire velit *l. 3 C. de iur. Reipubl.* Tuetur ergo ille ſuo Edicto municipium, vt etſi praeſcriptione amiſſa ſit B. P., competat tamen reſtitutione. Manſit tamen praeterea obſeruandi temporis neceſſitas, de quo poſt haec ſuo videbimus loco. Finit

nit demum IMPERATOR Conſtitutionem his verbis: *Eo addito, vt etiamſi intra alienam vicem, id eſt prioris gradus properantius exeratur, nihilominus tamen efficaciam parem, quaſi ſuis ſit vſa curriculis, conſequatur.* Quod vt recte intelligatur, notamus, petendam fuiſſe B. P. ſecundum ordinem Edicti perpetui, ita vt proximiores excluderent remotiores, hique, illis deficientibus, demum admitterentur *l. 2. ff. d. bon. libert.* Permittit ergo Imperator vt licet prior gradu adſit, remotior tamen poſt admittatur, eo adhuc tempore, quod currebat proximiori. Peti poterat, etſi nondum delata, eo effectu, vt deficiente proximo demum acquireretur. Sed haec maxime ad B. P. Edictalem pertinent, cum Decretalis potius ex natura iudicii, contradictorii pendeat & diiudicanda veniat.

§. XXVII.

Geſtio pro herede exemplis illuſtratur.

Geſtionis pro herede ſupra mentionem fecimus eamque colligi ex facto diximus. Facile inde patet, multum in his ponderandis iudicis arbitrio relictum eſſe. Idem de immixtione ſuorum iudicium ferendum. Sed ne ſpecialiores factorum, quae huc ſpectant, circumſtantias prorſus omiſiſſe videamur, placet pauca commemoratione non indigna ex iure Ciuili colligere. Vti vero, quae ex factis colligitur probabilitas, ſuos habet gradus; ita etiam in hac cauſa non una eademque eſt factorum aeſtimatio. Quaedam enim ſolummodo ad praeſumtionem excitandam faciunt, aliisque voluntatis coniecturis facile enecuantur; quaedam fortius probant & veritatis vim ſuſtinent. Accuratius factorum indolem, quae huc referri poſſunt, & ferme ſubtilius, quam neceſſitas require-

re

re videtur executus eſt DONELLVS *Comment. Lib. VII. c. 8.* Nobis ſufficit notaſſe, facta haec aut ita comparata eſſe, vt a nullo, quam herede, exerceri queant, aut cum iure & qualitate heredis non tam arcte cohaerere. Luculenter haec explicat MEVIVS *P. 1. D 72.* cuius iudicium meretur, vt hic inferatur. *Filium filiamque*, inquit, *qui quaeue poſſidet bona hereditaria defuncti, heredem parentis praeſumi. At talem inde certo concludere non licet l. 1. & 2. C de repud. hered., niſi ſimul appareat, vt heredem poſſidere. Eſt enim immixtio & aditio hereditatis actio animi, quem qua illam praeprimis inquirere & conſiderare oportet. Quae fiunt ſine tali animo non facienda aut fieri ſolita certum eius argumentum continent. Quae aliter in vtramque partem ſe habere poſſunt, eo non trahenda ſunt, ſed in dubio ſic potius accipienda, vt quis non immiſceatur vel obligetur.* Occurrit autem haec meditantibus primo loco effatum GAII *in l. 58. ff. de leg. 2.* relatum, vbi ſequentia legimus: *Si cuires legata fuerit, & omnino aliqua ex parte voluerit ſuam eſſe, totam acquirit.* Quod dum applicant ad hereditatem, quippe quae individua eſt, inde axioma conficiunt, *praeſumtionem aditionis totius hereditatis ex aditione partis naſci.* Licet enim non tam *facti* quam *animi* ſit aditio *l. 20. ff. d. A. v. O H.* nec velle quis praeſumatur aut obligari vltra id, quod ipſo facto expreſſit; tuetur tamen praeſumtionem ipſa legis diſpoſitio, quae non fert, vt quis parte hereditatis arrepta reliqua repudiet. Porro quaeritur, an heres implens conditionem teſtamento adſcriptam geſſiſſe pro herede dicendus ſit? Deſuadare ſolent INTERPRETES in hoc quaeſtione enodanda, quando ſententiam *l. 13. ff. d. Cond. Inſt.* explicant. Dicitur in *cit. l. poſt impletam conditionem id heredem agere debere, per quod hereditas*

An ex aditione partis tota hereditas adita cenſeatur?

Nam heres conditioni teſtamento adſcriptae parendo pro herede gerere videatur?

acquiritur, indeque recte colligitur, implendo conditionem non acquiri hereditatem, sed facultatem adeundi, adeoque nec impletionem conditionis gestionem pro herede efficere. Viterius de filio hereditatem patris retinente, non tamen immiscente aut abstinente & post moriente quaeritur, an acceptasse hereditatem praesumatur. Id quidem certum, solam rerum hereditariarum possessionem aut retentionem, animum adeundi hereditatem non satis exprimere, idque cumprimis si obaerata aut damnosa sit hereditas, cum & causa pietatis & custodiae & retentionis ob tuitionem iuris sui possessorem defendere queat; ast cum sui ipso iure heredes sint, eo cumprimis casu, quo lucrosa hereditas speratur, filii non expresse abstinentis silentium & rerum paternarum possessionem arreptam, pro herede gestionem arguere putamus, consentientibus nobiscum ANT. FABRO *Dec. 31. Error. 9.* & SAND. *Lib. IV. tit. 9. Def. 9.*

§. XXVIII.

An ex omissione hereditatis pretio accepto facta praesumatur pro herede gestio?

VLPIANVS *in l. 24. ff. de A. v. O. H. fuit quaestionis*, inquit, *an pro herede gerere videatur, qui pretium hereditatis omittendae causa cepit? Et obtinuit, hunc pro herede quidem non gerere, qui ideo accepit, ne heres sit: in Edictum tamen Praetoris incidere.* Vti lex supponit, omissionem hereditatis interueniente pretio factam, forte legatariis testamento tanquam destituto corruente, fraudi cessuram, & adeo Edicto Praetoris cuius sententiam refert *l. 1. ff. si quis omiss. caus. test.* coerceri, & legatariis data contra renunciantem actione ex rescripto HADRIANI *l. 2. ff. cod.* adiuuari; ita haec tanquam a scopo nostro aliena omittimus,

timus, id ſolummodo notantes, quod ad geſtionem pro herede ſpectat. Sine dubio autem legis ratio in eo poſita eſt, quod hereditas nondum delata, atque adeo nondum potuerit acquiri, cùm econtra ceſſio hereditatis poſt delationem facta vim aditionis habere videatur. Quo enim iuris colore ius, quod nondum acquiſiuimus, transferremus in alios, egregie illuſtrat locus VLPIANI *in Fragm. tit. 19. §. 14. ſq.* vnde ſequentia huc transcribimus. *Si, antequam adeatur hereditas, in iure ceſſa ſit, perinde heres fit, cui ceſſa eſt, ac ſi ipſe heres legitimus eſſet. Quod ſi, poſtesquam adita fuerit, in iure ceſſa ſit, is, qui ceſſit, permanet heres, & ob id creditoribus defuncti manet obligatus.* Quo loco in tranſitu paucis annotabimus, quod iura quidem cedi potuerint, exceptis tamen oneribus, quibus cedens obnoxius erat, *quum debitorum pactionibus* vt diſerte loquitur ICTVS *in L. 25. C. de pactis creditorum petitio nec tolli, nec mutari queat.* Ceterum inter exſtantiora, quae huc ſpectant, facta, occurrunt *locatio fundi heredi tarii*, aut, vt loquitur PAVLVS *Sent. L. 4. tit. 8. §. 25. Si ſuorum culturas rationesque diſponit heres aut reſectio aedium, nec minus ſi familiam alat, paſcat pecora*, & plura, quae habet. *l. 20. ff. de A. v. O. H.* Sic pactio aut transactio cum legatariis, vel coherede inita geſtionem pro herede denotat v. *l. 14. ff. de tranſact.* Sic citra ius & nomen heredis inepte agit eo heres iudicio familiae herciſcundae aut prouocatus ad diuiſionem, eandemque ſuſcipit, aut petitione hereditatis experitur, v. *l. 36 ff. famil. herciſc.* Plura cumulare non placet, cum plena manu ab aliis tractata, v. MENOCHIVM *L. IV. Praeſ. 101.* MANTICA *de coniect. vlt. vol. L. XII. tit. 9. ſeq.* MEV. *P. IV. D. 173.* Cum vero geſtio pro herede ex factis

Varia pro herede geſtionis exempla enarrantur.

Quis probet geſtionem.

factis colligenda, haec vero probatione indigeant, idque cumprimis ratione creditorum & legatariorum, qui contra heredem iudicio experiri cupientes in aditione expreſſa tacitaque intentionis fundamentum collocare tenentur; ſequitur eandem aut probatione plena aut praeſumtiua adſerendam. Nec videtur quicquam, quod a communi regula recedit, hac in re notari poſſe, praeter id, quod ſaepius in controuerſiam venit, *an ſuis a Creditoribus conuentis, probandi onus in liberos deuoluendum, vt ſe abſtinuiſſe doceat?* Certe ſuos ipſo iure heredes fieri notiſſimum, nec praeſumendum, eos ius ſemel quaeſitum abiecisſe, quin potius GAIVS *in l. 57. ff. de A. v. O. H.* eos iure ciuili creditoribus teneri, niſi ſe abſtinuerint, aſſerit, adeo, vt pro immixtione ipſae leges coniecturam capere, eosque obligationibus hereditariis ſubiicere, niſi abſtentione probata videantur; ſolent tamen plerique ex pragmaticis contrariam tueri ſententiam, non alia forte ratione, ſi rite eorundem tradita excutiamus, quam quia ſuitatis effectus in ſucceſſionibus omnino omnes aut iure nouo ſublatos aut vſu exoleuiſſe putat, vid. COCCEI, *in Diſſert. de Succeſſ. Nep. Sect. III. tit. 5.*

§. XXIX.

Heredi adituro competit ſpatium deliberandi.

Intereſt autem heredis, an imprudenter adeundo hereditatem in ſe ipſum velut ſaeuiat, & lucrum ſperans ruat in proprii patrimonii perniciem. Hinc iam olim cretioni certum dierum ſpatium ſolebat adiici, quo de hereditate ſuſcipienda deliberandi facultas daretur ſcripto heredi. Quin imo cernere hereditatem quid aliud erat, quam decernere, ſe velle heredem fieri, vt recte CVIACIVS

CIVS *Obſ. L. VII. c. 18.* Succeſſu temporis *deliberandi ſpatium* Praetoris beneficio inualuit, idque ideo neceſſarium, ne heres vrgentibus aditionem creditoribus pati immiſſionem in bona teneatur. Hocque Praetor eo maxime caſu petentibus indulgebat, quo teſtator nullum aditionis perficiendae tempus vltimis tabulis complexus erat *l. 72. ff. de A. v. O. H.* SAND. *L. IV. tit. 6. deciſ. 1.* Quantitas temporis arbitrio ius dicentis relicta, modo non minus, quam centum dies dentur *l. 2. ff. de I. D.* Moderatum enim tempus iubetur iudex ſtatuere *l. 9. C. eod.* Succeſſit demum ius nouum ex Imperatorum conſtitutionibus, quo iudicibus IX. menſes indulgere heredi deliberaturo permittitur, Princeps annum, non amplius ſe daturum pollicetur, *l. f. §. 13. C. eod.* Prorogari quoque illud ex magna cauſa poterat, qualem ex patrimonii amplitudine & impeditis rationibus hereditariis aliisque circumſtantiis colligimus. Cumque aequitatis apertiſſima ratione in quocunque herede militante nitatur hoc deliberandi beneficium, conſequens eſt, illud ſuis etiam heredibus & Praetoriis, iſtis de abſtinendo ſe ab hereditate paterna, his de agnoſcenda B. poſſeſſione deliberantibus profuturum *l. 8. ff. d. I. D. l. 2. §. 2. ff. d. B. P. f. t.* Per ſingulos etiam inſtitutionis gradus ſeruaturum ſe ait Praetor id, quod de praefiniendo tempore deliberationis edixit, videlicet, vt a primo herede ad ſubſtitutos omnes translata hereditate deliberandi tempus praeſcribatur, donec inueniatur, qui eam adeat *L. 10. ff. d. I. D. l. 69. ff. d. A. v. O. H.* Cumque non niſi petenti detur *l. 9. C. d. I. D.* patet, tempora deliberationis non niſi ab eo momento inchoare, quo impetrata ſunt, niſi annuum ſpatium nouo iure heredi ipſo iure a tempore, quo quis ſibi dela-

tam hereditatem ſciuit, currere ex *l. 19. C. h. t.* colligas.

§. XXX.

De beneficio inuentarii.

Sed cum nec ſatis cautum eſſet heredi ob ſaepe emergens aes alienum prorſus improuiſum, nouo Iuſtinianus beneficio heredi ſubueniendum cenſuit, quo is iubetur, confecto inuentario adire hereditatem, tutumque eum praeſtitit, vtcunque non eo vsque aſcenderent vires hereditariae, vt expungendis nominibus ſufficerent. Hic quae in aliis cautis *(* v. *l. 15. ff. d. reb. aut. ind. l. 7. C. d. bon. proſcript. l. 24. C. d. adm. tut.)* vtiliter adhibetur rerum ſolennis deſignatio, ad negotium hereditarium inſigni heredis commodo translata videtur. Conficiendi inuentarii modum ſolicite deſcripſit *l. f. C. d. I. D.* Scilicet illud intra XXX. dies a die, quo tabulae apertae ſunt, vel poſtquam nota fuerit apertura tabularum, aut delatam ſibi ab inteſtato hereditatem eſſe cognouerit, inchoandum, & intra duos menſes abſoluendum, idque tabellionum miniſterio, citatis, quorum intereſt, vel tribus teſtibus adhibitis, qui etiam loco heredis literarum ignari tabulario ſubſcribunt. Quae vti ſatis luculenter expreſſa ſunt a IVSTINIANO *in l. f. C. d. I. D Nou. 1. c. 2.* ita in recenſendis his & minutiis conſectandis non erimus prolixiores. Magis ad rem facit, effectus confecti inuentarii inueſtigaſſe. Efficit autem, vt innoxia ſit aditio, non obligans heredem vltra vires hereditatis, nec iurium confuſionem producens. Vlterius pleniſſimam probandi vim operatur inuentarium. Quod cum ita ſit, quibusdam antiqui iuris auxilium in tempore ad deliberandum dato poſitum, prorſus inutile redditum videtur.

Con-

Confirmat hanc ſententiam IMPERATOR *in §. 13. d. l. f.* vbi deliberationem penitus ſuperuacaneam putat, hancque rationem expreſſit: *Cum liceat eis & adire hereditatem, & ſine damno ab ea diſcedere, quis locus deliberationi relinquitur?* Sed ipſe laudatiſſimus Imperator non aliud his verbis voluit, quam quod ſubſequens Conſtitutionis tenor indicat, praeſcindere inutiles, quas in adeundo heredes ſaepiuscule nectunt, moras, & callidas tergiuerſationum machinationes. Quare deliberandi morem non ſuſtulit penitus, ſed coarctandum putauit. Quin imo regulae prudentiae interdum vſum deliberationis inuentarii beneficio praeferendum ſuadent. Bene illud obſeruauit HVB. *in Prael. Pand. ad Tit. d. I. D* vbi ſequentem in modum differit. *Si quis vera rem reputet via, incidatque in hereditatem, cuius facultates ignorat, cupiatque ſuae mortuique dignitati conſulere, cuius in iure Romano non parua ratio habetur, ſatius eſſet, petere ius deliberandi, quam ſtatim proſtituere hereditatem publico inuentario.* vid. *cap. II. §. 15. in fin.*

§. XXXI.

Vti ergo rebus ſuis heres adhibito inuentario egregie proſpicit; ita eodem neglecto varias incurrit & poenas & incommoda. Sic legis Falcidiae beneficio vti prohibetur *l. f. §. 14. C. d. I. D.* tum ob fraudis praeſumtionem, quod ex *Nou. 1. c. 2. pr.* colligimus; tum quia heres deliberatione vſus non niſi ſatis excuſſis bonis hereditatem adiiſſe cenſetur. Sed grauius omnino quod in *l. c.* ſcripſit IMPERATOR, heredem ſine inuentario adeuntem *omnibus in ſolidum debitis hereditariis teneri, & non ſecundum patrimonii modum, ſed, etiamſi exiguus ſit cenſus hereditatis,* Effectus inuentarii non neglecti.

tatis, tamen quaſi heredem eum in totum obligari. Certa tunc iuris antiqui regula *l. 8. ff. d. A. v. O. H.* expreſſa: *Hereditas obligat aeri alieno, etiamſi non ſit ſoluendo*, quae non niſi inuentarii beneficio eliditur, & adeo hoc non confecto confirmatur. Quae vti quoad creditores omni carent dubio; ita e contra, quod ad legatarios attinet, aliud obtinet. Ita enim ICTVS *in l. 1. §. 17. ad SCtum Treb. neminem oportet plus legati nomine praeſtare, quam ad eum ex hereditate peruenit.* Cumque *l. f. C. d. I. D.* quae ſedes huius doctrinae palmaria, non legatorum, ſed debitorum mentionem faciat, nec illam vltra caſum expreſſum extendi poſſe manifeſti iuris eſt. Verum licet id de iure Digeſtorum & Codicis certiſſimum ſit; attamen ex *Nou. 1. c. 2. §. 2.* quoad legata idem conſtitutum eſſe diſcimus, vbi IMPERATOR: *Si vero heres*, inquit, *non fecerit inuentarium ſecundum hanc figuram, ſicut praediximus, non retinebit Falcidiam: ſed complebit legatarios & fideicommiſſarios: licet purae ſubſtantiae morientis tranſcendat menſuram legatorum datio.* Denique nec illa, quae in *l. f.* fundata eſt, exceptio, ſilentio praetermittenda, qua milites ab hoc incommodo immunes praeſtantur. Et illud beneficium iam ante Iuſtinianum Gordianus militibus indulſerat, vt ſuccurratur damnoſam hereditatem adeuntibus per modum reſtitutionis in integrum, vt patet ex *§. 5. Inſt. de her. qual. & diff.* cum qui pro patriæ ſalute cum propriae ſalutis diſpendio depugnant, arma melius, quam leges noſſe praeſumantur; ſed Iuſtinianus id praeſtitit militibus adhuc vt ipſo iure a duro obligationis vinculo liberarentur. Vltimo demum loco inter damna in heredem ex inuentarii omiſſione redundantia controuerſum illud dogma numeramus, quo periculum rerum hereditariarum

An heres, etiam ſi inuentarium confecerit, caſus fortuitus ſingu-

ſingularium ad hęredem pertinere aſſeritur, a quo ipſum inuentarium immunem praeſtat. Tractant hanc quaeſtionem CARPZ. *P. II. d. 160.* BRVNN. *ad l. f. n. 55. ſeq. d. I. D.* MEVIVS *P. II. D. 357.* quos ſi euolueris, deprehendes ſententiarum diuortia rationumque, quibus inuicem pugnant, momenta. Certe durum eſſet, quod de herede cum inuentario adeunte ab omni hereditario incommodo liberando *in d. l. f.* ſcriptum legimus, ad ſolam aeris alieni exſolutionem reſtringere, nec ad caſus fortuitos in rebus hereditariis emergentes proferre, cf. *Nou. 1. cap. 2. §. 1.* Quod vti menti legis & rationi congruit; ita econtra patrimoniorum confuſio, quam producit aditio ſine inuentario facta, efficit, vt ferat heres damnum quod dominus in re ſua ferre tenetur. tuitos ferre teneatur?

§. XXXII.

Ad modum aditionis hereditariae explicandum etiam pertinet, vt ſoliciti ſimus de tempore, quo adeunda hereditas, quoue elapſo heredis ius exſpirat. Supponamus autem primo loco caſum, quo vrgentibus, quorum intereſt, maturanda eſt aditio. Solebat vetus Roma nouem plerumque dies *Denicales* dictos, iuſtis defuncto faciendis concedere, quorum ſeptem primis cadauer domi deplorabatur, octauo deferebatur, nono vitulatum famulabatur, quibus fas non erat heredes eorumque fideiuſſores in ius vocare. Vnde forte nec ante hos nouem dies tabulas apertas, nec aditam hereditatem colligendum. Licet enim lege Iulia Viceſimaria ſc i fauore cautum, vt tabulae aperirentur, a praeſentibus intra triduum vel quinque dies, ab abſentibus intra eosdem dies, Praeſcriptio iuris adeundi.

ex quo ſuperuenerant PAULI *Sent. Lib. IV. tit. 6. §. f.* videntur tamen hi dies non a morte teſtatoris, ſed a diebus denicalibus numerandi v. Cl. HEINECCII *Comment. ad L. Iul. & Pap. Popp. Lib. III. cap. II. pag. 377.* Inde non prorſus inani coniectura factum colligimus, vt *Nou. CXV. c. 5. §. 1.* nouendiale ſpatium conſtitueretur, quo pendente heres actione pulſari nequit. Quod tempus, vti heredi, qui adiit, lucro cedebat, ita & nec heres intra illud ad adeundum cogi poterat. Si heres cum cretione inſtitutus, adiectique dies, his elapſis, qui non adierat hereditatem, ſuo iure excidebat. Succeſſit demum deliberandi ſpatium, tum heredis, tum creditorum commodo, quo elapſo heres ſe non declarans, ratione creditorum adiiſſe *l. f. § 14 C. d. I. D.* ratione ſubſtituti & legitimi heredis hereditatem repudiaſſe cenſetur *l. 69. ff. d. A. v. O. II.* Quod etiam in ſuis heredibus procedere colligimus ex *l. 7. & 8. ff. d. I. D.* Porro ſi teſtator forte incommoda iacentis hereditatis praeuidens tempus aditionis praefiniuerit, quod facere tum expreſſe poteſt, in hunc ſenſum reſpondente PAULO *in l. 72. ff. d. A. v. O. II.* tum tacite, vt caſus in *l. 6 pr. & 44 ff. d. hered. inſt.* probat, hoc elapſo heres renunciaſſe hereditati creditur.

§. XXXIII.

Sententia interpretum de praeſcriptione.

Nemine aditionem vrgente, quanto temporis ſpatio iuri adeundi hereditatem praeſcribatur, definire, non caret difficultate. Multae hic interpretum diſſenſiones & ſententiarum diuortia intricatam reddiderunt doctrinam, his ſepoſitis facili negotio determinandam. Id quidem

quidem concedunt acutioris ingenii ICti plerique, exſpirare ius ex delatione hereditatis ortum. Nulla certe idonea ſubeſt ratio, quare ius adeundi cum SALYCETO a CORASIO *Miſcell. L. VI. c. 21.* refutato, inpraeſcriptibile dicamus. Quod enim ille tuetur, ius adeundi eſſe merae facultatis, & adeo ab omni praeſcriptionis vinculo exemptum, id meras nugas ſapit, & omnem euertit praeſcriptionis vim & effectum. Praeſcriptionis enim ea eſt indoles, vt facultatis a legibus indultae vſum, publicae vtilitatis gratia, velut certis limitibus circumſcribat, & negligentiae ſupinae poenam ſiſtat, quam leges minantur iis, qui cum iura vigilantibus ſcripta ſciant, tamen de rebus ſuis conſeruandis parum ſoliciti ſunt. Huius praeſcriptionis fundamentum recte collocatur in *derelictione praeſumpta* & inter priuatos cumprimis lites tollit, iuriumque & dominiorum certitudinem conciliat. Nec maioris ponderis eſt, quod vlterius mouet Salycetus, non eſſe, qui poſſideat, & praeſcriptione acquirat, nullamque concipi poſſe ſine poſſeſſione praeſcriptionem. Admitti enim poſſe eo caſu, quo vacua eſt hereditas, nemo eſt, qui dubitat, caſum vero hunc vix concipi poſſe certiſſimum videtur. Quod ſi ergo, vel qui ab inteſtato ſucceſſurus eſt, vel fiſcus, vel alius hereditati inſtat, ceſſat omnino & eneruatur aſſertionis fundamentum. Nec denique ad excludendam praeſcriptionem iuris adeundi proderit *l. 8. C. d. I D.* ſententia, qua *ſuos heredes ignorantes ſibi delatam eſſe hereditatem, longi temporis praeſcriptione non excludi, quo minus hanc vindicent*, aſſeritur. Nam ſi longi temporis praeſcriptio heredi *ignoranti* non obeſt, ſequitur ducto a contrario ſenſu argumento, *ſcienti* hereditatem ſibi delatam lapſum temporis nocere. Multum

tum ergo abeſt, vt hac lege ius commune euertatur, vt potius ex eadem vim & robur habeat, valeatque in hereditate acquirenda publicae vtilitatis ratio, quae praeſcriptionem, generi humano Patronam, introduxit, iurium dominiique certitudinem promouet, & negligentiam res ſuas non curantium puniendam ſtatuit.

§. XXXIV.

Refutatur opinio ius adeundi annuo ſpatio excludens.

Quo vero ſpatio ius adeundi exſpiret, ibidem dubiis non caret. Nota cum primis eſt ſententia Collegio Argent. eo titulo, qui acquirendae omittendaeue hereditatis materiam tractat, relata, qua annuo ſpatio, quod ad deliberandum indulgetur, adeundi libertatem exſpirare ſtatuitur. Non abs re erit fundamenta paradoxae opinionis & proferre in medium, & ſub examen reuocare. Prouocatur ad *l. 19. C. d. I. D.* eiusque verba, quibus deliberandi arbitrium in heredes transmitti, annuoque ſpatio finiri ſcribitur. Et quemadmodum tempus deliberandi iure Digeſtorum illud ipſum ſit, intra quod adeatur hereditas *d. l. 23. ff. §. 1. d. hered. inſt. l. 80. ff. d. A. v. O. H.*; ita multo magis ex dicta *l. 19.* colligi poſſe autumant, finito tempore deliberandi ius etiam adeundi eſſe excluſum. Vt vero, qui ita ſentiunt, iis obuiam eant, qui ad longiſſimi temporis praeſcriptionem ius adeundi referunt, argumentum ex *l. 1. C. ſi vt omiſſ. hered.* a reſtitutione minoribus ob neglectam aditionem intra deliberandi tempus neceſſaria nectunt, concludentes, ſupervacuam eſſe reſtitutionem, ſi aditio intra XXX. annos perfici poſſet. Sed qui ita rationes ſubducunt, verum iuris deliberandi finem prorſus euertunt. Heres, cui ad inſtan-

ſtantiam ſubſtituti heredis vel legitimi conceſſa eſt deliberandi mora, hanc negligens, hereditatem repudiaſſe cenſetur, & eo pertinet, quae ex *l. 19.* ſupra adducta. Quod ſi vero heres ad inſtantiam creditorum deliberatione vſus, lapſo tempore tantum abeſt, vt perdat ius ſuum, vt potius ſiue velit, ſiue nolit, pro herede habeatur, adeo, vt non abſurde dicatur, illo caſu ius adeundi, hoc caſu repudiandi facultatem exſpiraſſe *l. f. §. 14. C. d. I. D.* Et ad hos quoque caſus reſtringenda minorum reſtitutio, quam diſſentientes in partes ſuas vocare ſolent, confer. *l. 7. ff.* & *l. 15. §. 3. C. d. I. D. l. 2. C. ſi minor. ab her. l. 7. §. 9. ff. d. min.*

§. XXXV.

Aliter vero omnino ſentiendum, ſi nemo aditionem vrgeat, quo caſu ius adeundi ad regulam *legis 3. C. de Praeſc. 30. vel. 40. ann. l. 1. §. 1. C. d. ann. except.* exigendum, & adeo non niſi 30. annis extingui putamus. Cum enim aliud tempus non praefinitum, regulae omnino inſiſtendum. Hocque clariſſime euincit *l. 7. C. d. pet. her.* Si enim, vt in illa lege habetur, longiſſimo tempore hereditatis petitio ceſſat, ius quoque adeundi, ex quo naſcitur petitio, hoc quoque ſpatio extingui conſequitur. Agnoſcenda B. P. a liberis & parentibus annuo ſpatio, a reliquis intra C. dies. Vtile eſſe hoc tempus, nec ignoranti currere, ſeſſionum ſaltim dies, quibus Praetor ſe dedit poſtulantibus, numerari, & reliqua non perſequemur fuſius. Ceterum locum inter Pragmaticorum errores obtinet multorum doctrina, qua delatam ſibi hereditatem ignorantem poſt 30. annorum lapſum ex Iure Praetorio

Vera ſententia praeſcriptione expoſitur.

admittunt. Absurdum omnino videtur, hoc dogmate contra generalem iuris sanctionem *l. 3. C. d. praescript 30. ann.* niti, quae ignorantiae exceptionem prorsus reiicit, aut Praetorio beneficio ad breuissimum spatium prudenter restrictum, tacente lege ad liuium immortalitatem promouendam abuti v. BACHOV. *ad Treutl. vol. 2. D. 15. th. 1. lit. f.* WISSENB. *ad tit. ff. d. Succeff. Edict §. 19.* Nec minus inter errores eius generis refert ANT. FABER. *Err. Pragm. D. 3. c. 8.* quod de suis heredibus per XC. annos ad paternam hereditatem admittendis proferri solet. Scilicet cum tempus B. P. petendae modicum omnino, & adeo Praetori, aequitatis custodi egregie sedulo & solerti, durum videretur, successorio Edicto suis ita prospectum, vt ex triplici capite, quatenus & liberi, & agnati, & cognati parentum sunt, admittantur v. *l. 1. §. 11. ff. d. Succeff. Edict.* Ansam hoc dedit, vt ad imitationem Juris Praetorii, JCti nouiores quidam cerebrinae aequitatis defensores XXX. annorum spatium liberis triplicandum censerent. Sed exemplo Juris Praetorii remedia acquirendae hereditatis ciuilia producta esse nuspiam legimus. Sed his refutandis immorari post aliorum labores superfluum putamus. vid. LVDOVICI *Diss. de Praescript. nonagen.*

§. XXXVI.

De effectibus aditae hereditatis generatim.

Vidimus hactenus ea, quae ad modum adeundae hereditatis spectant, eaque ad regulam Iuris Romani exegimus. Sequitur, vt de effectu aditae hereditatis dispiciamus. Aditio vti tendit ad hereditatis delatae acquisitionem, haec vero successionem in vniuersum ius, quod habuit

buit defunctus tribuit; ita patet, id effici debere aditione, vt heres acquirat hereditatis *commoda* & *onera*, seu quod eodem redit, in vniuersum defuncti ius succedat. Sed cum haec, quae generatim de aditionis effectu agunt variis iure ciuili determinationibus, illisque tum *positiuis*, tum *negatiuis* exprimantur, thematis, quod tractamus, ratio & ambitus requirere videntur, vt eas paulo fusius exequamur. Primum ergo, quod in scenam producimus, conficit axioma illud: *Hereditas adita repudiari nequit.* Luculento hoc decisio confirmat. *l. 4. C. de repud. v. abstin. hered.* vbi ita: *Sicuti delatam hereditatem repudians successionem petere non potest; ita quaesitam (aditione) renunciando nihil agit.* Nec obscurae sunt rationes huius doctrinae partim in principiis communibus partim iuris Romani propriis positae & innixae. *Nemo*, inquit *l. 75 ff. d. R. I. potest mutare consilium in alterius iniuriam.* Habet enim aditio vim contractus, vt vulgo loquuntur, quodue nos paulo post explicabimus; ea vero est conuentionum natura, vt, consensu semel legitime interposito, necessitatem obligationis producant, exclusa poenitendi facultate. Praeterea antiquo Quiritum iure cautum fuit, teste PAVLO *Sent. L. III. t. 4. §. f.* vt, *qui semel constituit, ad se pertinere hereditatem, ac se rebus eius immiscuit, repudiare eam non potest, etiamsi damnosa sit*, idque forte ideo, quia non habere heredem, graue & luctuosum, aut delatam recusare, cum defuncti iniuria coniunctum videbatur.

Hereditas semel adita repudiari nequit.

§. XXXVII.

Merentur, quae dicta sunt conclusionibus non nullis illustrari. Scilicet ex dicto axiomate recte colligitur, *heredem*,

Variae conclusiones inde

deductae notantur.

heredem, qui vendidit hereditatem iam delatam, semper manere heredem. Sensum Iuris Romani luculenter expressit HVBERVS *in Prael. ff. ad t. d. H. v. A. V. Ipsum ius hereditarium*, inquiens, *non potest in alium transire, sed primi heredis quasi ossibus inhaerens manet ἀνεξάλειπτος indelebili heredis charactere l. 88. ff. d. hered. inst. Proinde post venditionem, qua heres ius suum transtulit in alium, venditor adhuc manet heres & conuenitur a legatariis & creditoribus, etsi venditio hac lege facta, ne venditor vllo modo teneatur; Contractus enim venditionis, qui inter heredem & emtorem vertitur, ius tertii nulla parte mutat, imo quod magis est emtor inuitus conueniri nequit, quamuis ea lex emtionis dicta sit, vt emtor creditoribus hereditariis satisfaciat. l. 2. C. d. H. v. A. V.* Porro inde consequitur heredem subtili iuris sensu manere talem, nec hereditatem posse repudiare, licet eandem cum beneficio inuentarii adierit, &, deprehensa patrimonii insufficientia, bona creditoribus restituerit. Nihil enim tribuit inuentarii beneficium heredi, quam vt sit indemnis, & ne aditione iura heredis & defuncti confundantur. Quare recte PAVLVS VOETIVS *ad ff. tit. de jur. delib. §. 25. Illud*, inquiens, *obseruatu dignum est, heredem cum beneficio inuentarii adeuntem, etiam post distributam inter creditores omnem pecuniam ex rerum hereditariarum distractione redactam, & redditas omnium rationes, arramenta seu reliquias litis contra defunctum inchoatae suscipere compellendum; cum inuentarii beneficium in vnum tribuat heredi, ne vltra vires hereditatis de suo quid soluat.* Quare iure meritoque refutatur CVRTII error, quem ex *Coniect. L. I. c. 41.* retulit & obelo notauit HILLIGERVS ad DONELL. *L. VII. c. 3. lit. m.* quoue asserere ausus est, *ex inuentario adeuntem non esse proprie heredem*, idque auctorita-

ic

te *l. 36 ff. de bon. libert. qua ſoluendo eſſe dicitur hereditas quae heredem habet.* Inde a contrario ſenſu infert, *ſi hereditas ſoluendo non eſt, nec heredem habere poteſt.* Sed inſpecta legis ſententia, id in eadem disquiri patet, an patrono Bon. Poſſ. danda contra liberti obaerati, qui patronum excluſerat ab hereditate, tabulas ſupremas, hoc obtentu, quia hereditas ſoluendo haud ſit. Quod ICtus refutaturus ſoluendo eſſe hereditatem aſſerit, quam heres ſuſcipere cupit, idque magis heredis iudicio, quam patrimonii viribus aeſtimandum.

§. XXXVIII.

Manet ergo heres, qui adeundo talis effectus eſt, niſi in integrum reſtitutione ſeſe liberare valeat. Quae enim aequitatis ratio laeſis ſubueniri iubet, & ex cauſae qualitate aeſtimanda venit, ad hereditarium quoque negotium recte extenditur. Praetor autem de reſtitutione indulgenda imploratus probata laeſione tam ex cauſis ſpecialibus, quam ex generali clauſula illam decernere poterit. Sed de cauſis ſpecialioribus non eſt, vt agamus pluribus. Euidens eſt illarum iuſtitia, & ipſo naturali iure nititur. Nec deſunt earum veſtigia in legibus hinc inde expreſſa. De eo, qui metu pactus adiit, agit *l. 85. ff. de A. & O. H.* & *l. 21. §. 5. ff. quod met. cauſ.* nosque ſupra ſuo loco diximus. Quin imo ipſum abſtinendi beneficium ſuis heredibus tributum recte reſtitutionis ſpecies dici meretur. vid. *l. 57. ff. d. A. v. O. H.* Pupillo, datisque ab eo fideiuſſoribus ſuccurrendum eſſe *l. 89. h. t.* pronunciat, quod ſine dubio de pupillo, qui auctore tutore adierat, intelligendum. Deficiente enim tuto-

De reſtitutione in integrum contra adiitionem.

tutoris auxilio, qui ſeſe immiſcuit impubes, ipſo iure tutus eſt. De minore generalis regula *l. 3. C. de in integr. reſt. min.* applicata ad caſum ſuſceptae hereditatis damnoſae legitur in *Nou. 119. c. 6.* ſed etiam maiores ſiue Praetorio ſiue extraordinario Principis beneficio iuuare conuenit. Quae hoc caſu iuſta reſtitutionis cauſa ſit, arbitrio quidem judicis relinquendum; videtur tamen non alia, quam noua poſt aditionem ſuperueniens, eadem ratione, vt in reſtitutione contra ſententiam poſtulata ex *l. 31. ff. de iurei.* & *l. 19. ff. de except. rei iud.* admittenda. Talis erit omnino emergens ex improuiſo aes alienum, aut tabulae teſtamenti heredi forte ab inteſtato hereditatem tenenti iniquam conditionem imponentes. Quae enim de nouo emergunt, nouo quoque indigent auxilio, vt loquitur VLPIAN. *in l. 11. §. 8. ff. de interrog. in iur. fac.* Ceterum quod impetrandae reſtitutionis modum attinet, eadem non minus per exceptionem, quam per viam actionis obtineri poterit, idque vel breui manu, vt vulgo loqui ſolent, vel praeuia pleniore diſcuſſione; quae cum iure ordinario procedant, nec in hoc negotio hereditario a communi regula recedant, non eſt, vt in illis applicandis fuſius occupemur.

§. XXXIX.

Aditio habet vim contractus.

Sequitur nunc alterum effectus aditionis explicans axioma, quo eidem vis contractus adſcribitur. Ita autem rem explicat *§. 5. Inſt. de oblig. quaſ. ex contr. Heres legatorum nomine non proprie ex contractu obligatus intelligitur & tamen, quia ex maleficio non eſt obligatus, quaſi ex contractu debere intelligitur.* Idem legitur in *l. 5. §. 2. ff. de O. & A.*

Eis

Eis porro, quibus defunctus debuit, heres quoque ex eadem, qua defunctus, cauſa obligatur, eiusdem repraeſentans perſonam, quod CICERO *ſecundo de legibus libro c. 19.* hiſce verbis expreſſit. *Nullam eſſe perſonam, quae vicem eius, qui e vita migrauit propius, quam heres accedat.* Idque vel ideo certiſſimum, quia creditorum ius aditione magis confirmatur, quam eneruatur, vt noua agendi cauſa fulciendum non ſit. Quicquid ſit, latet in aditione conſenſus, quo heres non teſtamentum ſolum approbat, legemque agnoſcit, quam in acquirenda hereditate ſequatur, ſed quo etiam facta defuncti ſeſe praeſtiturum implicite fatetur. Quod ante, quam fiat, deliberare heres, & vti remediis in ſecuritatem ſuam introductis poteſt; adita vero hereditate iam nata eſt obligationis neceſſitas, adeo, vt conſenſum retractare nequeat. Quod obligandi fundamentum licet mutua conſenſione, ceu in conuentionibus fit, deſtituatur; ſolent tamen Romanae leges illud ad analogiam contractuum expendere. Ceterum, quod in quaſi contractibus eſſinxit vulgaris doctrina conſenſus ficti vel praeſumpti commentum, id ab aliis confutatum parum nos curamus, quibus ſufficit aditionem hereditatis rectiſſime inter facta obligatoria referri, adeoque leges eidem actionem ex teſtamento ſuperinſtruxiſſe, qua heres adimplendam defuncti voluntatem compellitur, quae vtiliter ad legata codicillis relicta applicatur. Huius vis omnis ex aditione pendet. Nam vti nemo, vt fiat heres, cogi poteſt, licet hereditate quam maxime lucroſa delata; ita in perſona heredis non niſi vltima voluntate per aditionem approbata naſcitur obligatio. Quare recte inde colligimus, monente STRYKIO *in tract. de action. forenſ. inueſt. Sect. I. membr. 9. §. 28. herede hereditatem repudiante*

pudiante legatariis non dari hanc actionem licet testamentum sit omnibus numeris perfectum. Huius vero actionis naturam ipsa aditionis indoles, ex qua profecta est, indicat. Personalem esse inde patet, quia ex facto aditionis oritur, & ad analogiam contractuum aestimatur. Et cum aditio hereditatis desiit esse actus legitimus, ipsaque inde nata obligatio magis ex principiis iusti & aequi naturalis, quam olim aestimanda, nobis intricata illa quaestio, an haec actio stricti iuris sit, & quae interpretum calamos exercuit, nullius videtur esse momenti. conf. COCCEII *Ius Controu. ad tit. de oblig. & act. qu. XIII.* Vtque contra heredem principaliter datur haec actio ex aditione; ita etiam ex rationis identitate vtilitatem praestat contra omnes, quibus testatoris supremo iudicio quicquam, quod praestent, iniunctum *l. 70. ff. de legat. 2. l. 8. ff. de leg. 3.* Denique licet certum, creditoribus non hanc contra heredem actionem dari, sed eam, quae ex defuncti facto ius creditorum fundante resultat, argum. *l. 8. pr. ff. de A. v. O. H.*; non tamen negandum insignem omnino intuitu creditorum esse aditionis effectum, qua ius ex persona defuncti ortum in personam heredis deriuatur, adeo, vt nisi haec posita & probata non detur in heredem actio, & hinc non incongrue BERGERVS *in Oecon. Iuris, Lib. III. tit. 6. §. 5.* asserit, *aditionem hereditatis esse causam obligationis, cum originariam, respectu legatariorum, tum deriuatiuam, respectu creditorum.*

§. XL.

Aditio, quae iura non tribuat?

Telam, quam coepimus, continuaturi, vlterius notamus *aditionem heredi non tribuere iura, quae cum persona*

ſona defuncti deſinunt, & a transmiſſione in heredes ex regula iuris ciuilis exempta ſunt. Dari talia ex inductione exemplorum abunde patet. Sic *α) poſſeſſio* in hanc claſſem redigenda. Facti enim haec eſſe dicitur. *l. 1. §. 3. & l. 28. ff. de acqu. poſſ.* hinc non ipſo iure, ſed facto, quo animo & corpore quid deprehenditur, acquiritur *l. 3. §. 1. ff. d. acqu. poſſ.* Inde heredem de nouo poſſeſſionem apprehendere debere diſertis verbis tradit. *l. 30. §. pen. ff. eod.* Inde conſolidatio aut continuatio poſſeſſionis abſque facto apprehenſionis non datur, bene tamen iurium ac dominiorum. Porro *β)* huc pertinent *ea iura, quae ex voluntate concedentis aut conſtituentis, atque adeo ſua natura cum perſona, cui conceſſa, intereunt.* Varia horum per Iurisprudentiae ambitum occurrunt exempla. Notiſſima ſunt *priuilegia*, quae non tranſeunt in heredes *l. 68.* & *l. 196. ff. d. R. I.* licet effectus eorundem interdum ad heredes aut bona priuilegiati, & cum his ad ſucceſſores porrigatur, quale occurrit in *l. 6. C. d. prof. & med. l. 2. §. f. C. d. epiſc. & cler. l. 6. ff. d. in integr. reſt. l. un. C. ſi aduerſ dot.* conf. hic HERTII *diſſert. de tranſitione priuilegii perſonalis ad alios.* Idem exiſtit in *ſeruitutibus perſonalibus*, quarum praecipua ſpecies vſusfructus, cuius ea eſt indoles, vt cum perſona vſufructuarii exſpiret *§. 3. Inſt. d. vſufr. l. 12. C. eod.* Illuſtrat haec effatum VLPIANI *in l. 38. §. 10. ff. d. V. O.* quo ſtipulationem de vſufructu conſtituendo ad heredes non pertinere aſſerit: Heredibus ſimul conceſſus non niſi primis defertur *l. 14. C. de vſufr.* ita tamen, vt in perſona heredis nouus cenſeatur vſusfructus conſtitutus, vid. STRAUCH. *ad l. f. C. de vſufr.* Morte quoque *iura ſtatus* pereunt, nec hereditario nexu afficiuntur. Sic nec *nobilitas*, nec *iura reuerentiae* ex ſtatu paternitatis aut iure Patronatus

orta, heredi prosunt. Nec minus hoc loco commemoranda sunt *bona restitutioni obnoxia*, quae huc maxime spectant, fideicommissa familiae, quaeue defunctus magis vsusfructus lege, quam pleno proprietatis iure tenuit. Quae in conseruationem familiae constituta non alium finem agnoscunt, quam vt, seruata bonorum in agnatos solo sanguinis iure successione, splendor & decus gentis absque quibus facile marcescens, inconcussum ad seram posteritatem propagetur. Hinc foeminas in illis excludi facile patet. Nec admittitur dispositio per vltimam voluntatem, ne turbetur ordo succedendi, quem constituens fideicommissum censetur introduxisse. Prono inde alueo, quod dicunt, consequitur, eius generis bona heredibus possessoris non deferri iure hereditario. Idem quoque dicendum de tutela, quae aeque hereditatis iure non transit in heredes *l. 6. ff. de tutelis.* Denique nec aditione acquiruntur ea omnia, quae non fuerunt in patrimonio defuncti, & quicquid aeris alieni nomine venit. *l. 213. §. 1. ff. de V.S. l. 72. ff. de leg. 2. l. 2. §. 3. ff. de hered. vend.* licet ab eo res alienae corporaliter ad mortem vsque possessae fuerint, *quoniam id*, vt loquitur JAVOLENVS in l. 28. ff. de neg. gest. *ei abesse videtur, in quo est obligatus.*

§. XLI.

An possessio in suum heredem ipso iure transeat?

Quod §. *ant.* ab initio diximus, *non transire possessionem ipso iure in heredem, nisi naturaliter sit apprehensa*, differendi nobis offert occasionem, num haec regula etiam in suo aeque ac extraneo herede obtineat. Rationes eorum, qui affirmatiuae subscribunt sententiae, si paulo curatius inspiciantur, partim in generalitate *l. 23. ff. d. A.*

v. A.

v. A. P. partim in Iuris Naturalis diſpoſitione ſeſe fundant, quippe quod dominium quatenus poſſeſſionem complectitur, absque actu per quem naturalis poſſeſſio conſeſtim acquiri poteſt, non competere declarat. Verior tamen nobis, ſalua certe vtriusque iuris veritate, negatiua videtur ſententia. Etenim quis adeo in ſacris iuris Quiritum peregrinus aut hoſpes eſt, vt ignoret, liberos, viuo modo patre, rerum paternarum dominos exiſtimatos fuiſſe §. 2. *Inſt. de her. qual. & diff.* adeo, vt moriente genitore non hereditas, ſed potius libera bonorum adminiſtratio relicta videretur *l. 11. ff. d lib. & poſth.* Quinimo ex *l. 2. §. 2. ff. pro hered.* perſpicue conſtat, liberis praeter dominium bonorum, dum pater adhuc ſuperſtes, & eorum poſſeſſionem competere. Quae cum ita ſe habeant, ſequitur, id quod ſemel meum eſt, meo patrimonio, cui iam applicatum, denuo acquiri non debere, ſufficit enim vnicum duntaxat actum ad acquirendam rei alicuius poſſeſſionem interueniſſe. Poſito igitur & euicto, ſuum heredem ipſo legis beneficio & dominium & poſſeſſionem ſine apprehenſione ab extraneo neceſſario adhibenda conſequi, adducemus ex abundanti argumentum, in *l. 1. §. 15. ff. Siis, qui teſt. lib.* ad quam ſaepius diſſentientes prouocare ſolent, latens, ibi PAVLVS: *Nec heredis*, inquit, *eſt poſſeſſio antequam poſſideat*, inde ducta a contrario ſenſu coniectura, ſi modo poſſideat, quod re ipſa iam probauimus, noua & vlteriori haud opus eſſe apprehenſione. Placet hic non probationis, ſed illuſtrationis cauſa, quaedam de ſuis heredibus paſſim obuia adiicere. Sic apud LVCAM XV. *v. pen.* Pater filio querulanti reſpondet: *Nate tu mecum ſemper es, & omnia mea tua ſunt.* Nec inepte hic applicari poteſt Ciceronis illud: *Quibuscum vi-*

ui bona noſtra partimur. Huc quoque videntur collimare, quae TERENTIVS patris nomine ſequentem in modum eloquutus eſt: *Donec ſaluus redierit meus particeps.* Et PLVTARCHVS in elegantiſſimo libello *de prolis amore* ait: *Liberi vt ſibi debitam hereditatem exſpectant.* Ea quoque in tantum huc ſpectare videntur verba apud PLAVTVM *Trinum. Act. II. Sc. 2. v. 45.* conſpicua. Ibi Lyſitiles patri interroganti, num de ſuo amico velit eſſe adiumento, ſequens dedit reſponſum: *De meo, nam quod meum eſt, tuum eſt, omne meum autem eſt tuum.* Poſtremo, cum viuente adhuc patre filio non deſit ius, nec poſſeſſio, ſed adminiſtratio duntaxat in bonis paternis libera; conſequens eſt, vt & feudi poſſeſſio, quod intuitu filii omnium conſenſione portio eſt hereditaria, ſine noua apprehenſione continuetur.

§. XLII.

Obligatio heredis ex defuncti delicto.

Non extra circulos tractationis dilabimur, ſi hoc loco vlterius diſquiramus, an γ) etiam *iura & obligationes ex delictis enatae in heredes per aditionem tranſeant?* Et quod debita ex delicto defuncti attinet, ea partim reſtitutionem eius, quod intereſt, partim poenam reſpiciunt. Poena grauior aut coercitionem corporis reſpiciens, aut mortem inferens ob delicta publica & atrociora gentium non minus, quam Romano iure morte condemnati deſinit ac perit, nec heres ad eam ſubeundam ſalua iuſtitia trahi poteſt. Cum enim poena ob malum actionis, ſeu ex merito, infligatur, illudque perſonale omnino ſit, ſequitur, quod vno omnes ore confitentur, *poenam ad eos non pertinere, qui non peccarunt.* Hancque iuris diuini veritatem agno-

agnoſcunt leges Ciuiles, dum delicta ſuos autores tenere, nec poenas perſonas delinquentium excedere, siue exinde aliquid ad heredem peruenerit, nec ne, aſſerunt. *Si poena alicui irrogatur*, inquit PAVLVS *in l. 20. ff. de poen. receptum eſt commentitio* (hoc eſt antiquo iure, quod aequitas Prudentum ſuffragio ſuffulta ſuggeſſit) *iure, ne ad heredes tranſeat; cuius rei illa ratio eſſe videtur, quod poena conſtituitur in emendationem hominum, quae mortuo eo, in quem conſtitui videtur, deſinit.* Et in *l. 26 ff. eod.* ſcribitur: *Vnusquisque ex ſuo delicto ſorti ſubiicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur.* Idque grauiſſima oratione exprimit *l. 22. C. eod.* Belle etiam PAVLVS *in l. 7. §. 1. ff. de cap. min. Iniuriarum*, inquit, *& actionum ex delicto venientium obligationes cum capite ambulant.* Nulla ergo ex crimine defuncti heredis obligatio ad poenam, etſi lis cum defuncto conteſtata, *quia*, monente COCCEIO *in Diſp. d. oblig. hered. ex delict. defuncti §. 26. litis conteſtatio in criminibus non poteſt haberi pro quaſi contractu, cum nec poſſint priuati paciſci de crimine.* Sunt vero caſus certi, quibus limitatur haec aſſertio. Sic in *l. f. ff. ad L. Iul. Mai.* VLPIANVS refert, ſequentia notatu omnino digna: *Extinguitur crimen mortalitate, niſi forte quis Mieſtatis reus fuit. Nam hoc crimine niſi a ſucceſſoribus purgetur, hereditas fiſco vindicatur.* Idem de crimine Repetundarum in *l. 20. ff. d. accus. & inſcript.* Peculatus & de Reſiduis in *l. f. ad L. I. pecul.* habetur, ita vero vt iudicium adverſus heredes intra annum a morte rei computandum inſtitui debeat. Nam, eo elluxo, nequidem in ſimplum actio competit *l. 2 ff. ad L. I. repetund.* ſalua tamen in factum actione, ſi hereditati ex delicto perpetrato aliquod acceſſerit emolumentum. Huc quoque referri ſolet caſus, quando delinquens ob crimen

ad poenam pecuniariam condemnatus diem ſupremum obiit, quoue exiſtente ex ſententia *l. 20 ff. d. accuſ.* contra heredem poenaę executionem locum obtinere aiunt vid. *l. 29. ff. d. iur. fiſc.* Recte hoc reſtringit COCCEIVS *c. diſſ. §. 31.* ad ſola crimina publica, quod nec a ratione Iuris Ciuilis alienum videtur. Nec minus heres delinquentis, qui ſibi mortem conſciuit, quiue bonorum publicationem meruit, effectum poenae ſentiet, ſecundum *leg. 5. C. ſi reus vel accuſ.* Sed vide omnino *Nou. 134. c. ult.* vbi his omnibus, excepto crimine maieſtatis, certa ratione videtur derogatum. Niſi huius legis correctoriae diſpoſitionem ad eum duntaxat reſtringere velis caſum, quando poenam corporis afflictiuam tacite ſequitur bonorum confiſcatio.

§. XLIII.

An actiones poenales in heredem transeant?

Quod vero delicta priuata, & ex illis datas actiones poenales concernit, ea Iure Romano prodita eſt regula: *Actiones poenales non dari in heredes, niſi lite conteſtata.* Licet vero demus, quae quorundam eſt ſententia, poenas dupli, tripli, quadrupli, actori per has actiones applicandas, habere rationem eius, quod intereſt; non tamen dicta regula, eo caſu, quo poenae non ineſt rei perſecutio, ab aequitate naturali non videtur abire. Poenae enim etiam pecuniariae executio, veram ſapit vindictam, & quod alio ſenſu dicitur, noxam caput ſequi, hoc quoque loco applicari poteſt, eo ſenſu, quo ex delictis non niſi delinquentes teneri dicimus. Inſtituta enim actione, quae ſolam poenam perſequitur, lucro tantum inhiat actor cum heredis damno. Perſonam non patrimoni-

monium afficit delictum, & poena morte definit, eadem ratione, vt patrimonium ipſum morte definit eſſe delinquentis. Vti enim poenae eſt delicti aeſtimatio *l. 41. ff. de poenis.* nec naturaliter puniri poteſt, qui nihil deliquit, iniquum eſſe ſequitur, cogere heredem, vt poenam a defuncto promeritam luat. Egregia denique ſunt omnino, quae habentur in *l. 38. ff. de R. I.* vbi ICTVS: *Sicuti poena ex delicto defuncti heres teneri non debet; ita nec lucrum facere.* conf. *l. 15. C. de furt. l. 111. ff. de R. I.* Prae ceteris vero huc ſpectat *§. 1. Inſt. de perp. & temp. act.* qui non ſolum regulam allatam expreſſis confirmat verbis; ſed & heredem nonnunquam ex dolo defuncti in contractu admiſſo, haud conueniri poſſe, ait, dummodo exinde non factus fuerit locupletior. Multum his tenebris diſpellendis operae & ingenii impenderunt interpretes. Quae enim ſit illa ex contractu proueniens actio ob dolum poenalis, in §. ſequenti prolixius diſputabimus, id ſolummodo hic notantes, non de ſola actione depoſiti in duplum, ſed forte eadem probabilitate, de actione diſpungendarum rationum contra tutorem in duplum data intelligi poſſe, quam etiam ex tutelae adminiſtratione, ceu quaſi contractu naſci veriſſimum puto. Et recte ex dictis inferendum putamus, toties heredem liberari, quoties ex negotio ciuili ob incidentem dolum ad poenam agi poteſt. Vt ergo hae actiones heredem ſtringant, litis ſuſceptio efficit, ita enim *l. 139. ff. de R. I. actiones, quae morte aut tempore pereunt, ſemel incluſae iudicio, ſaluae permanent.* Idque ob naturam litis conteſtationis, quam leges Romanae ad analogiam contractus exigunt *l. 58. ff. de O. & A. l. 3. §. 11. ff. de pecul.* HVBERVS *in Prael. ad ff. tit. de ind. §. 21.* Sed quid iuris, ſi ex delicto defuncti quicquam

quam lucri ad heredes peruenerit? Nec tunc actioni poenali locus est contra heredem. Ad impium enim lucrum heredi extorquendum alia comparata sunt remedia, *vide* interim haec solidius explicantem MARCVM a LYCLAMA *in Bened. L. 1. c. 14.* Nec actiones mixtae, poenam & damnum persequentes, quatenus poenales sunt contra heredes dantur, cum ad rei persecutionem meram, vt monet *L. 2. §. f ff. vi bon. rapt.* condictio siue in factum actio sufficere videatur. Idem de popularibus actionibus dicendum *l. 8. ff. de post. act.* quae non nisi litis contestatione in bonis esse incipiunt, arg. *l. 12 pr ff. de verb. sign.*

§. XLIV.

De dolo in contractu admisso num heres teneatur?

Nec minus doctrinae nostrae ratio exposcit, vt in specie de damno doloso in contractu a defuncto dato, & num illud ex hereditatis patrimonio soluendum sit? dispiciamus. Ius, quod hominum cordibus inscriptum, & cum natura coepit, fons ille omnis aequitatis, qua rerum humanarum salus nititur, & duriora legum humanarum sancita temperat, ius illud aeternum suum cuique tribuere iubet, & prona consecutione heredi iniungit, vt resarciat damnum, quod defunctus intulit, nec eum liberat, quamuis nihil ex defuncti facto vere possideat, vel inde alio modo factus sit locupletior. Si Romani Iuris doctrinam inspiciamus, sibimet ipsi illa quodammodo videtur aduersa & dissentientibus interpretum suffragiis ansam dedisse, adeo, vt quibusdam dimortium ab aequitate naturali feciſſe, & plus iusto fauori heredum indulsisse deprehendatur. Ita scriptum legimus in *§. 1. Inst. de perp. & temp. act. Aliquando tamen etiam ex contractu actio contra*

contra heredem non competit, veluti cum teſtator doloſe verſatus, & ad heredem eius nihil ex dolo peruenit. Non credo vocem ἐνιπλήκτως acrius exercuiſſe criticam Hermolai Barbari ſolertiam, quam hic textus ICTorum ingenia torſit. Omnia perrepſerunt iuris Iuſtinianei ſcrinia, vt caſum inueniant, quo ob dolum defuncti in contractu admiſſum, contra heredem eatenus ſaltim, quatenus ex defuncti perfidia heredi profuit, datur actio. Vide, ſi placet, BACHOV. *de Action. Diſp 3. th. 4.* ANT. FABR. *Lib. V. Coni. c. 12.* CVIACIVM *Lib. XXI. obſ. 2.* Sane FRANCISCVS BALDVINVS teſte HOTTOMANNO *ad d. §. Inſt.* ſe hunc locum non intelligere fatetur. Certe crederes cum CVIAC. *l. c.* regulam in hoc textu haberi, quae heredem ex dolo defuncti in contractu admiſſo obligari prohibet, niſi ex facto defuncti lucrum ſentiat, idque confirmares generali effato ICTI *in l. 44. ff. de R. I.* quae *totiens*, ait, *in heredem damus de eo actionem, quod ad eum peruenit, quotiens ex dolo defuncti conuenitur*, adderesque cauſam depoſiti ex *l. 7. §. 1. ff. depoſ.* ſententiam hanc ſatis adſtruentem, niſi lex legi reſiſteret, & deciſionem redderet dubiam. Ita enim *l. 152 §. f. de R. I.* legitur: *In contractibus, quibus doli praeſtatio vel b. f. ineſt, heres in ſolidum tenetur.* Deſtruit haec regula hactenus relata, niſi forte diceres, hanc ad ſola negotia pertinere, quae ex ſententia Romani iuris ſola bona fide, & adeo naturali maxime aequitate nitantur. Et his fine dubio motus PET. FABR. ad *d. l.* notat, non ſpectare hanc regulam ad eas cauſas, ex quibus interdictum reddi ſolet. Allegant quoque pro confirmanda regula verba PAVLI ex *l. 49. ff. de O. & A. ex contractibus venientes actiones in heredes dantur, licet delictum quoque verſetur.* Quae licet ſpeciem habere vi-

deantur, facile tamen cum ſententia TRIBONIAN. *d. §.* expreſſa conciliari ea ratione poſſent, vt dicamus teneri quidem heredem, ſed non alio obligationis modo & effectu, quam quatenus ex facto defuncti lucratur. Non placet plura addere. Ceterum in tam ancipiti legum, & interpretum diſſenſione quis vitio vertet ingenuo legum cultori, rem omnem ad aequitatis naturalis cynoſuram expendere? Placent & perplacent, quae COCCEI. *Iur. Controu. ad tit. ff. de O. & Act. Qu. XV.* de hac cauſa diſputat. Is generatim & principii loco ſupponit, *heredem obligari ad omne id, quod in hereditate eſt, vltra patrimonium defuncti*, inde ſequi aſſerit, dari in heredes actiones ciuiles ex delicto rei perſecutorias; quia etſi defunctus ſuo delicto non ſit locupletior factus, tamen aliquid mihi abeſt facto & iniuria defuncti, quo is obligatur ad reſtituendum, ego ergo minus, defunctus vero plus ſuo habebit *l. 28. in f. l. 29. de dolo mal.* hoc ergo ſimplum non eſt defuncti poena, ſed in meo patrimonio. Denique actiones, quibus dolus ex ipſo contractu vindicatur, aduerſus heredes competunt, quia quicquid ex contractu debitum eſt, incipit eſſe aes alienum ratione debitoris. Poſtremo cum heres aditurus hereditatem lucrari ex perſona defuncti praeſumatur, aequum eſſe piumque, vt ei ſatisfiat, qui facto defuncti paſſus eſt damnum. Et hanc aequitatem Iuris Canonici doctrina, de qua ſuo loco plura dabimus, ſequitur. Quotiens enim in reddendo iure deflectimus a diuinae legis regula, quae ſuum cuique reddere iubet, totiens extra iuſti aequique limites vagamur.

§. XLV.

§. XLV.

Monet nos inſtituti ratio, vt etiam de iure heredum ex delicto contra defunctum commiſſo videamus. Dari heredi ius agendi hoc caſu, ad vtrumque effectum delicti obtinendum, inde potiſſimum patet, quia publica vtilitas delictorum poenas exigit, cui mors eius, qui laeſus eſt, ne quicquam impedimenti afferre poteſt. Sunt vero quaedam Romanarum legum definitiones hoc thema illuſtrantes. Diſtinctius ergo videamus de criminibus non minus, quam delictis. Notae ſunt accuſationes ſolennes, quibus Iure Romano criminum publicorum ſcelus vindicatur, *publicae quaeſtiones* dictae, a quibus differebant de extraordinariis criminibus inſtitutae *cognitiones*. Debebat vero accuſator libello, qui criminis ſpeciem complectebatur, ſubſcribere, quo ipſo ſe ad poenam talionis obligabat, ſi per calumniam accuſationem ſuſcepiſſe apparuerit, inſimulque de non deferenda accuſatione cauebat, cum per SCti Turpiliani ſanctionem non niſi impetrata abolitione ab accuſatione deſiſtere licuerit v. *l. 2. C. d. gen. abol. l. 2. C. d exh. reis.* Merentur hac de re legi, quae ex monumentis antiquitatum congeſſit BRISSONIVS *de formul. p. m. 468.* & quod tempora Iuſtiniani attinet, AGATHIAS *L. 4.* Quaeritur ergo, an heres obſtrictus ſuerit ad accuſationem a defuncto coeptam continuandam. Deciſionem ſuppeditat. *l. 6. C. ſi reus vel accuſ.* vbi *morte finiri crimen* dicitur, idque expreſſe ad caſum mortui accuſatoris extenditur conf. *l. 3. §. 4. ff. d. accus.* Sed luculentum eſt omnino, & omnem dubitationis anſam tollit, quod habetur in *l. 19. ff. de accuſ.* ita enim in eadem ICTVS: *Diui*

An heres agere poſſit ex delicto contra defunctum commiſſo?

fratres reſcripſerunt, non debere heredes accuſatorum cogi, exequi crimina; Et quod in *l. 40. ff. pro ſocio* ſcriptum eſt, per heredem explicari debere a defuncto inchoata, id nequaquam ad criminale negotium pertinet. Nondum vero a defuncto coepta accuſatione, vti generatim nemo ad accuſandum cogitur *l. vn. C. vt nemo inuitus agere*, ita nec heres qua talis, niſi ad vlciſcendam defuncti necem pietatis officium a legibus excitatum ipſi accuſationis neceſſitatem imponat. Ita VLPIANVS publicari bona dixit in *l. 5. §. 2. ff. ad SC. Silan. Si conſtabit eſſe occiſum patrem familias, & heredem ante quaeſtionem de familia habitam ſumptumque ſupplicium adiiſſe hereditatem.* Et porro: *Vbi quis incuria necatus eſt, vel medici inſidiis, adiri quidem hereditas poteſt, ſed heredi defenſio mortis incumbit. l. 17. & l. 21 ff. d. his, quae vt indign.* Et PAVLVS *in L. 3. Sentent. 5. §. 2. honeſtati*, inquit, *heredis conuenit, qualemcunque mortem teſtatoris non inultam relinquere.* Quod priuata delicta concernit, nulla videtur ratio euincere, quin heres actione poenali aut rei perſecutoria vti, & adeo pari cum defuncto iure cenſeri queat. Horum enim delictorum indoles in laeſione bonorum maxime poſita, in quae cum heres ſuccedat, non poteſt non inſimul in ipſum ius defendendi eadem tranſire *§. 1. Inſt. d. temp. & perpet. act.* Et inde quoque euenit, vt eas actiones poenales Romanae leges ab hac aſſertione exciperent, quae magis ad vindictam & vltionem comparatae, quam ad patrimonii emolumentum. Exempla actio iniuriarum, quae non conteſtata in bonis non eſſe cenſetur. *l. 28. ff. d. iniur.* & *l. 4. ff. d. calumn.* nec non *l. 7. C. d. reuoc. don.* ſiſtunt, indeque forte euenit, vt nec querela de in officioſo teſtamento, niſi praeparata in heredes transmittatur *l. 6. §. 2.* & *l. 7. ff.*

de

de inoff. teſt. id quod dein Iure Codicis in *l. 34. C. d. inoffic. Teſt.* mutatum, & primi gradus liberis paterna affectione & imitatione, vt loquitur *c. l.* IMPERATOR, proſpectum, vt querelam etiam non praeparatam ad nepotes ſuos ex ſenatos, transmittant.

§. XLVI.

Aditio operatur confuſionem.

Vlterius notandum, *aditionem, non ſolam delationem hereditatis* v. BERG. *Res. Laut p. 815. operari vtriuſque patrimonii, tum quod heredis eſt, tum defuncti fuit, confuſionem.* Inſignes eiuſdem effectus ſeſe exſerunt. Sic confuſione hac exiſtente obligationes, quae inter heredem & defunctum extiterunt, peremptae cenſentur. Nam, vt loquitur SENECA *Lib. V. d. benef. Debitor non eſt ſine creditore, non magis, quam maritus ſine vxore.* Idem exprimit. *l. 34. §. 8. ff. de ſolut. dum pro eodem apud eundem deberi non poſſe* aſſerit, & *l. 75. ff. eod.* vbi: *Si debitor heres creditori extiterit, confuſio hereditatis perimit petitionis actionem l. 3. C. d. fideic. l. 5. C. d. hered. act. l. 7. C. de pact.* STRAVCH *in Diſſert. d. conſ. oblig.* Sic, ſi heres, deducta Trebellianica, rogatus ſit reſtituere hereditatem, antequam autem voluntati teſtatoris ſatisfaciat, debitori hereditario ſucceſſerit, ita confunditur obligatio, vt licet poſtea hereditatem ex SCto Trebelliano reſtituerit heredi fideicommiſſario, ſemel confuſa obligatio non redintegretur, adeoque eo caſu dodrans illius quantitatis, quae per actionem confuſam peti poterat, heredi fideicommiſſario a fiduciario reſtitui debet, non quidem per priſtinam actionem, vt pote iam confuſam, ſed ex cauſa fideicommiſſi. Idque LAVTERBACHIVS *Diſſert. d. Confuſione §. 11.* praeter ſententiam *l.*

58. & 80. ff. ad SC. Trebellian. eo quoque argumento probat, quod vsurae praeteriti quidem temporis computentur, & pro rata portione heredi fideicommissario restituendae sint, futuri vero ita demum debeantur, si mora a fiduciario sit commissa, certo, vt idem credit, iudicio, priorem obligationem plane esse per confusionem sublatam, nec per Trebellianum SCtum reparatam. Iungi his merentur, quae habet BERG. *Oecon. Iuris L. 5. t. 15. §. 7. n. 3.* Ea quoque confusio per aditionem constituta causam dedit notissimo illi separationis beneficio, Praetoria aequitate introducto, quo postulantibus creditoribus hereditariis, causa cognita, bona defuncti a proprio heredis patrimonio eum in finem seiunguntur, vt illis exinde primo omnium satisfiat *l. 1. §. 1. ff. de separ. l. 2. C. bonor. aut iud. possess.* Cum enim post aditionem hereditas non nisi [illegible] ac per relationem ad id quod fuit, talis vocetur v. *l. 10. §. 2. ff. d. vulg. & pup. substit. hinc creditores*, vt fluunt verba LAVTERBAHII *in Disp. d. Separat. §. 4. heredis proprii non minus iuris habent circa bona, quae defuncti fuerunt, atque circa illa, quae aliunde heres sibi quaesiuit, ipsique in bonorum illorum distractione non solum cum hereditariis creditoribus concurrunt, sed & si debiti causa priuilegio aliquo nitatur, chirographariis defuncti creditoribus praeferuntur, vnde fit, vt interdum creditores defuncti, licet ipsorum hereditas soluendo fuerit, vel nihil, vel minus, pro debitis suis consequantur.* Cum vero satis iniquum sit, ex facto & persona heredis, & per illius creditores deteriorem fieri hereditariorum conditionem, qui defuncti fidem secuti, & nihil nisi patrimonium eius intuiti sunt, proinde aequissimum Praetori visum est audiri eos separationem bonorum postulantes.

§. XLVII.

§. XLVII.

Sicuti vero aditio poſſeſſionem ipſam non tribuit, vti iam dictum, quippe quae non niſi facto apprehenſa acquiritur; is tamen aditionis effectus inſignis non eſt ſilentio praetereundus, quod heredi poſt aditionem *vacuam rerum hereditariarum poſſeſſionem ingredi & apprehendere liceat, non vacuam proditis a iure remediis vindicare poſſit.* Vacua autem poſſeſſio dicitur, quae ab omni iuſto poſſeſſore aut detentore immunis. Aptiſſima haec ad demonſtrandam aſſertionis veritatem vacuae poſſeſſionis definitio, eadem ratione, vt ipſa hereditas in *l. 30. ff. d. V. & P. S.* dicitur, quam nullus hereditario iure acquiſiuit. Hereditate ergo adita cum nec lex nec contradictoris factum reſiſtat rerum hereditariarum poſſeſſionem occupaturo heredi, qui tantum in iisdem iuris nactus ſuit, quantum habuit defunctus, & adeo poſſeſſionem arripiendo exercet dominium in ſe aditione translatum. Ad naturalem enim facultatem recte refertur, agere quod lex permittit, nec alteri nocet. Hinc non vitioſa eſt poſſeſſio, quam vacuam occupauit *iure dominii* inſtructus. Et vti recte *in l. 7. C. de acqu. poſſ.* improba poſſeſſio dicitur, *quam ingrediens in vacuam poſſeſſionem fundi alicuius alicui acquiſiuit;* ita a contrario ſenſu euidenter colligitur, iuſtam eſſe eam, quae ex cauſa aditae hereditatis nullo contranitente arripitur; adeo, vt nec iudicis decreto, monente HVBERO *in Prael. ff. t. de acqu. poſſ. §. 5.* hoc caſu opus ſit, licet ad demonſtrandam cauſae iuſtitiam, & impetrandum a iudice poſſeſſionis defendendae auxilium illud impetraſſe profiçit. Quae vero ab alio detine-

Heres an poſt aditionem poſſeſſionem hereditatis propria auctoritate apprehendere poſſit?

tur

tur hereditas, eius poſſeſſio, non niſi mediis a iure proditis vindicatur. Nemo enim ſuae poſſeſſionis commodo priuato auſu priuandus eſt. Cum vero moleſtum omnino, petitorio iudicio contra hereditatis detentorem experiri, qui friuolis ſaepe oppoſitis exceptionibus ſpem iuſti heredis eludit aut protrahit, ipſaque demum obtenta victoria difficilis reddatur executio, fructuumque incerta ineunda computatio; aequitatem Praetor ſecutus, interdicto Quorum Bonorum heredi proſpexit, quo ſecundum *l. 3. C. Quor. Bon.* ſi heredis ius liquidum, poſſeſſoris vero exceptiones altiorem indaginem requirant, poſſeſſio hereditatis actori addicitur, alterius allegationibus in petitorium reiectis. Idque ſumma iuſtitiae ratione defenditur. Iniquitatem ſapit effectum iuris liquidi & certi per exceptiones in certas, fictas, nullis probationum adminiculis munitas incertae litis aleae exponere. Sed huius remedii indolem fuſius exponere inſtituti rationem turbare, idque potius breuem videtur mereri diſcuſſionem, an, quod fundatur remedium *in l. f. C. de Edict. D. Adrian. toll.* prorſus cum hoc, quod iam commemorauimus, Praetorio interdicto conueniat? Non immorabimur diuerſis ICTORVM circa hanc quaeſtionem digreſſionibus, quas interpretes larga meſſe afferre ſolent. Exponemus ſententiam, quam veritati conſentaneam putamus. Scilicet Praetorium interdictum Bonorum poſſeſſori dabatur, cumque ſummaria proceſſus ratio huic interdicto propria commoditatis plurimum actori tribuere videretur, vid. *l. f. C. Quor. Bon.* euenit, vt heredes teſtamentarii ad hoc Praetoris beneficium impetrata bonorum poſſeſſione adſpirarent. Inde frequens bonorum poſſeſſionis ſecundum tabulas iure ciuili mentio

Quando Quorum Bonorum interdicto heredes adiuuantur?

Quatenus remedium ex l. f. C. de edict. D. Adrian. toll. cum Interd. Quor. Bon. conſpiret.

tio occurrit, quae primum ex teſtamento ſcripto, poſt Principum Conſtitutionibus ex nuncupatiuo data legitur v. *l. 2. C. d. B. P. ſ. t. l. f. pr. C. d. Codicil.* Sed cum ſaepe accideret, vt heres petendo *B. P. ſ. t.* moras necteret, hocque modo fraus fieret fiſco vigeſimam hereditatis ex lege Iulia petenti, Imperator Adrianus Conſtitutione promulgata edixit, vt heres teſtamento vitium viſibile non habente ſcriptus, poſſeſſionem intra annum peteret & impetraret, anno elapſo vero non audiretur v. SCHVLTINGIVM *ad* IVLII PAVLI *Sent. L. 3. t. 5. §. 16.* Sed poſtquam vectigal hoc hereditarium abolitum eſſet, Iuſtinianus noluit vllis temporum anguſtiis ius heredis in petenda hereditatis poſſeſſione coarctari, adeo, vt dicta lex vltima, quoad ipſam facti qualitatem ab interdicto non videatur diuerſum quid conſtituiſſe.

§. XLIIX.

Quia vero hereditas non ſola *delatione*, ſed potius *aditione* acquiritur, vt ſuo loco vidimus; hinc ad effectus aditionis ſolidius explicandos pertinet de transmiſſione hereditatis non aditae diſpicere. Eam vero hanc in rem ius ciuile regulam ſuppeditat: *Hereditas non adita non transmittitur l. 7. C. de iur. delib. l. un. §. 5. C. de caduc. toll.* quae Codici Hermogeniano originem debet, vbi appoſite dicitur: *Manifeſti iuris eſſe atque euidentis, antequam cerneret, vel pro herede gereret, vel bon. poſſ. peteret, defunctum ſucceſſionem eam non potuiſſe ad heredes ſuos transmittere.* Quod licet de ipſa hereditate, quae nondum per aditionem quaeſita, facile largiendum, de iure tamen adeundi, quod ex delatione pendet. *L. 1. §. 1. ff. d. V. & P. S.* dubitari poſſet,

Hereditas non adita non transmittitur.

poſſet, niſi in arbitrio legum acquieſcendum. Siue enim dixeris, hereditatem non niſi volenti acquiri *l. 16. C. de iur. delib.* hinc nec transmitti eandem niſi a volente, ſiue aſſeras, transmiſſionem in heredis heredem ideo impediri, quia hereditas per leges non niſi heredi ſcripto vel legitimo defertur, quibus argumentis vtitur ANTON. FABER. qui hanc regulam *L. XIV. coniect. c. 1.* neruoſe explicat; ſiue denique cum DONELLO *Comment. I. C. L. VII. c. 4.* ius adeundi *perſonale* ſtatuas, quale cum perſona perimitur; omnes tamen hae rationes non aliud conficiunt, quam quod conuincamur eo fortius, regulam mera ciuili ratione non naturali niti. Imo potius ita ſubducendae rationes in contrarium, ſi rem ex principiis iuſti vniuerſalis velis deriuare, vt ſolummodo ad voluntatem deferentis teſtatoris reſpicias, de qua rectiſſime capitur coniectura, quod volens patrimonium alicui deferri, voluerit quoque id in ipſius heredem deuolui, dum inſtitutum heredem non perpetuo delata hereditate fruiturum, ex conditione generis humani facile perſpexit; Et quod IVSTIN. *in l. vlt. C. de hered. Inſtit.* profeſſus eſt. *Heredis heredem eſſe teſtatoris heredem*, hic quoque applicari poteſt. Non certe aliam regula ex Iure Romano adducta rationem habet, quam quia abſurdum credebant, id in heredem transferri, quod defunctus acquirere noluerat, cumque hac ceſſante ratione heredis heredi variis ſuccurrebant modis, quos paulo poſt explicabimus. Accedebat his ſub Auguſto locupletandi fiſci ſtudium, quo effectum eſt, vt hereditate non adita & transmiſſa bona caduca fierent, indeque fiſci commodis accreſcerent. Alienum a ſcopo noſtro videtur antiquata Latii iura de caducis conquirere, licet haec opera illuſtrando iuri hereditario Quiritum

ritum multum lucis allatura ſit. Colligemus pauca in fidem eorum, quae diximus. Ita vero VLPIANVS *in Fragm. tit. 17. Quod quis ſibi teſtamento relictum, ita, vt iure ciuili capere poſſit, aliqua ex cauſa non ceperit, caducum appellatur.* conf. I. GOTHOFREDVS *ad Leg. Iul. Caducar.* & clariſſ. HEINECCII *Comm. ad L. Pap. Popp.* GRAVINAE *Orig. p. m. 363.* Caduca autem non ad ſola legata, ſed ad hereditates etiam pertinuiſſe VLPIANVS *cit. loc.* probat, hereditatis caducae mentione facta, & IVSTINIANVS *in l. un. pr. C. de cad. toll.* innuit, dum ſubſtitutiones in vltimis voluntatibus ad euitanda caduca adhibitas commemorat. Accidebat vero, vt quis relictum capere non poſſit tribus potiſſimum ex cauſis, vt refert GRAVINA *in Origin. p. 364. Alia enim pro non ſcriptis habentur, alia dicuntur eſſe in cauſa caduci, alia proprie caduca ſunt, & nuncupantur.* Caduca proprie dicebantur, (nam cetera ad nos non pertinent) quae poſt mortem teſtatoris deficiebant. Hinc monente GRAVINA *c. l.* lege Papia vetabatur heres adire hereditatem ante apertas tabulas, quo dilata aditione caduca redderetur hereditas. Quod etiam tunc eueniebat, quando agnatus inſtitutus noluit, vel non potuit hereditatem acquirere, quo caſu agnatus poſterior, exiſtente priori, nunquam vocabatur, ſed fiſco addicebatur patrimonium. Et olim quidem caducum acquirebat populus, velut omnium parens, poſt ius populi ANTONINI lege ad fiſcum Principis delatum teſte VLP. *in Fragm. t. 17. §. 2.* ad quem SCHVLTINGIVS notat locum, omnia caduca ex lege Papia iam pridem fiſco fuiſſe vindicata. Hocque ne contingeret, teſtatores ſubſtitutionibus, legeſque ipſae introducto iure accreſcendi, de quo ſuo loco videbimus, cauebant, donec tan-

Quae fuerint caduca?

dem IVSTINIANVS omne ius fiſci circa cadua eliminandum cenſeret: iis, quae olim caduca fiebant, in heredes legitimos translatis, id que in caſu vltimae voluntatis non minus, quam ſucceſſionis inteſtatae ſeruari praeceperit, ſalua ceteroquin antiqui iuris regula, qua non adita hereditas in heredis heredes non transmittitur. Luculenter hoc indicant verba §. *13 l. um. C. d. cad. toll.* quae ſic fluunt: *Cum autem non aditam hereditatem minime, niſi quibusdam perſonis ad heredes defuncti transmitti diſpoſuimus: neceſſe eſt, ſi quis ſolidam hereditatem non adierit, hanc, ſi quidem habeat ſubſtitutum, ad eum ſi voluerit, & potuerit, peruenire. Quod ſi hoc non ſit: vel ab inteſtato ſucceſſores eam ſuſcipiant: vel ſi nulli ſint, vel accipere nolint, vel aliquo modo non capiant: tunc ad noſtrum aerarium deuoluatur.*

§. XLIX.

Transmiſſio hereditatis in heredes ex iure ſuitatis.

Nunc quoque quibus caſibus praedicta regula ſuum perdat officium exponendum eſt. Sui heredes cum ipſo iure acquirant hereditatem, & non tam *ſcribi*, quam *gigni* ex ſententia SYMACHI *L. 1. Epiſt. 9.* dicantur, licet ante immixtionem deceſſerint, ius omne ex delatione hereditatis ortum in heredes transmittunt, adeo, vt, prout his viſum fuerit, & abſtinere ſe a lucro delato, aut retinere patrimonium queant. Teſtimonium in hac cauſa claſſicum eloquuntur. *l. 3. l. 19. C. d. l. D.* Nec tollitur hoc ſuitatis priuilegium adiecta a patre in ſupremis tabulis clauſula: *Si voluerit*, quae in *l. 69 ff. d. hered. inſt.* occurrit, & prout nobis videtur, antiqui iuris veſtigia ſeruat. Scilicet haec clauſula, vti extraneo adiecta ſupervacanea habetur, quia conditionis, quae ipſo iure ineſt, expreſ-

ſio

ſio nihil operatur, *v. l. 12. ff. d. cond. inſt.* ita in neceſſarii heredis fauorem, antequam Praetor illis abſtinendi beneficium indulſerat, olim adſcribi ſolita, filio deliberante mortuo, nihil adimit, nec transmiſſionem impedit. Similiter transmiſſioni huic, conceſſa a Praetore abſtinendi facultas, obicem ponere nequit, quum illa neceſſitatem duntaxat, neutiquam autem ſuitatem ſuſtulerit. Digna ſunt hac de re VLPIANI verba in *l. 1. §. 7. ff. Si quis omiſſa cauſ.* relata, vt hic apponantur, vbi: *Qui ſunt in poteſtate*, inquit, *ſtatim heredes ſunt ex teſtamento, nec, quod ſe abſtinere poſſunt, quicquam facit.* Transmittunt vero ſui hereditatem tam in deſcendentes, quam extraneos, nec quicquam quoad hos ſcrupulum quibusdam mouentibus facit, qui in *l. c. 19. poſteritatis* vocabulo conturbati, extra ſanguinis communionem poſitos excluſos putant. Vt enim taceamus, poſteritatis voce alibi quoscunque ſucceſſores indicari v. *l. 1. C. comm. de leg. l. 4. §. 3. ff. de cenſ.* in ſuis heredibus non quaerendae, ſed iam quaeſitae hereditatis transmiſſionem contingere, & verba illa ex IVLII PAVLI quaeſtionibus relata non in parte legis diſpoſitiua expreſſa, aliarum Conſtitutionum auxilio illuſtranda eſſe. Sic filiam patris hereditatem, quam ſibi ipſo iure quaeſitam ignorabat, ſuitatis iure in matrem, quae inter extraneos omnino referenda heredes, transmiſiſſe legimus in *l. 8. C. d. ſuis & leg. lib.* Idem probant, quae habentur *in l. 9. ff. d. iur. fiſc. d. l. 19. §. 2. ff. d. caſtr. pec.*

§. L.

Quod de ſuis heredibus aſſeruimus, ad emancipatos certa ratione extenſum legimus *in l. un. C. d. his qui* Transmiſſio Theodoſiana.

ante apert. THEODOSIANA enim, quae ibi habetur conſtitutio introduxit, vt liberi etiam ignorantes ſibi delatam eſſe hereditatem paternam, citra ſuitatis reſpectum eandem ad ſolos deſcendentes transmittant, licet aditione non acquiſitam. Hinc certo modo plus continet THEODOSIANA transmiſſio, quam quae iure ſuitatis obtingit, certo modo minus. Plus, cum non tantum ſuis, ſed etiam emancipatis competat; minus, cum ſui ad quoscunque, emancipati in ſolos deſcendentes transmittant. Idem ergo de liberis etiam naturalibus in materna hereditate aſſerendum. Solum enim ſanguinis vinculum reſpicitur. Hincque nihil impedit, quo minus ex eadem ratione patrem in liberos naturales, quatenus hi illi ſuccedere queunt, ſuum transmittere dicamus patrimonium *Nou. 89. c. 12. §. 4.* Et id quoque, ſi minutias conſectari placet, notandum, iure ſuitatis ipſam hereditatem, quippe iam acquiſitam lege THEODOSIANA, ius ſaltim adeundi transmitti. Nec ad caſum ſolum teſtati *d. l.* reſtringenda, licet inſcriptio heredem ante tabulas apertas mortuum, ipſeque ſenſus legis conceptis verbis exprimat. Vrget hanc aſſertionem & tuetur ratio generalis, *ſi quidem*, vt loquitur THEODOSIVS, *perindignum eſt, fortuitas ob cauſas & caſus humanos nepotes anita hereditate defraudari.* Impedit ergo hanc transmiſſionem liberorum defectus, quae facti circumſtantia communi interpretum calculo in caſu *l. 2. C. ad Sct Orph.* ſupponitur, licet reſcripti verbis non tatis clare expreſſa. Nec THEODOSIANVM hoc beneficium adſcendentes attinet, adeoque ius transmiſſionis reciprocum non operatur, neque ex indole iuris ſingularis, quod ſolis proſpexit deſcendentibus, ad aliorum commoda porrigendum; quod enim *in l. 18. C. d.*

iur.

iur. delib. habetur, huc non ſpectat & §. proximum ſequente a nobis explicabitur.

§. LI.

Succeſſit denique conſtitutio IVSTINIANI, quam *l. 19. C. d. l. D* exhibet, qua quiuis extraneus heres poſt ſcientiam delatae hereditatis currente deliberandi ſpatio annuo mortuus, arbitrium & ius deliberandi, adeundique in quemcunque ſucceſſorem transmittit. Quod ergo defuncto in deliberando leges humanitatis rationibus innixae indulſerunt, id omne eiusdem heredi profuturum, ſtatuit. Sed qua ratione heredis ſcientia requiratur, id quidem non ſatis expeditum videtur. Suadet aequitas, fons legum & interpretationis cynoſura, vt iuſte ignoranti potius conſulatur, quam ſcienti *l. 16. ff. acqu. hered.* & ſi curatius legis verba inſpiciantur, id quidem ex illa colligitur, non niſi ſcienti currere deliberandi tempus, quod etiam in aliis annuae praeſcriptionis caſibus obtinet; ignorantem vero, ſibi delatum eſſe ius ſuccedendi, & intra annum mortuum, nihil iuris transmittere, id nulla idonea ratione inde conficies. Quicquid ſit, quis tantas auſit componere lites? poſtquam Pragmaticorum turba contrariam ſententiam inter inuicta fori dogmata referre coepit. Ita enim, quem communis huius opinionis defenſorem dabimus, SANDIVS *Dec. Friſ. Lib. IV. t. 9. d. 1. verius*, inquit, *Iuſtinianeam Conſtitutionem in hac transmiſſionis ſpecie exigere ſcientiam heredis.* Et paulo poſt: *nam cum ſcientes tantum deliberent, nemo, qui ignorauit, poteſt ius deliberandi habere, & quod non habet transmittere.* Sed parum haec ponderis habere, ſcopus *d. l.* ſatis euincit, qui, Transmiſſio iuris deliberandi.

qui, ſi non alius eſt, quàm vt ſuccurratur heredi intra annale tempus ex tempore ſcientiae computandum decedenti, ſequitur, quod multo aequius ſit ſuccurrere ignoranti. Habet deliberandi tempus heres ipſa legis prouidentia, quod verba legis *deliberatione minime petita* ſatis innuunt, & ſic illud minime pendet a delatae hereditatis ſcientia. Ceterum quod de reſtitutione in caſu ignorantiae ex *l. 86. ff. d. acqu. her.* disputari ſolet, lubenter ſeponimus. vid. CVIAC. *ad C. Vl. Reſp. Pap.* & ANT. FABER. *L. XIV. Coniect. c. 1.*

§. LII.

Num vera & transmiſſionis ſpecies, quae in l. 18. C. d. I. D. occurrit? diſquiritur.

Nec ſilentio praetereunda conſtitutio, quae in *l. 18. §. 1. C. de Iur. del.* habetur. Agitur in eadem de infante herede inſtituto, patrique adeundae hereditatis facultas conceditur, eo effectu, vt infanti quoad proprietatem; patri quoad vſumfructum acquiratur, quod ex *l. f. C. de bon. matern. l. f. de bon. quae liber.* poſt peculiorum iura conſtituta veriſſimum putamus, ſecus ac iure veteri, quo hereditas filiofamilias delata & acquiſita tota transferebatur in patrem *l 79. ff. d. A. v. O. H.* His addunt AVGVSTI: *Si parens hoc neglexerit, & in memorata aetate infans deceſſerit, tunc parentem quidem ſuperſtitem omnia ex quacunque ſucceſſione ad eundem infantem deuoluta* IVRE PATRIO, *quaſi iam infanti quaeſita capere.* Fingitur ergo hereditas infanti quaeſita, & adeo caſum potius, quo ipſo iure capitur hereditas, quam verae transmiſſionis, quam nos tractamus, ſpeciem exhibet. Ratio tum in fauore aetatis poſita, cui conſentaneum videtur, ius in Bonorum Poſſeſſione teſte VLPIANO *in l. 1. ff. d. B. P.* furioſi conſti-

conſtitutum ad additionem hereditatis transferre, tum de decantato illo iuris Romani de vnitatis inter patrem liberoſque vinculo eruenda eſt. Nec patri, mortuo infante, neglectae additionis exceptio recte opponitur, cum iam ſuo loco monitum fuerit, heredem, nullo exiſtente, qui additionem vrget, omni tempore eandem perficere poſſe. Sed videamus, quae ſit legis ſententia, paulo curatius. Infantis hic cauſa agitur, non eorum, qui in adultiore aetate poſiti ſunt. Qui veniant infantum nomine, contra ANTONIVM FABRVM diſputat HILLIGERVS *ad* DONELLVM *Lib. VII. c. 9. l. D.* latiusque deducit PETRVS FABER *ad L. 5. ff. d. R. I.* ſed lex noſtra extra dubitationis aleam ponit, quando *in pr.* ait, *qui minores ſunt ſeptem annis*, quibus conſentit *l. 1. §. 2. ff. de adm. tut.* Meminit quoque lex noſtra patriae poteſtatis, adeo, vt inde colligi debeat, ad emancipatos eam non pertinere. Porro cum patrio iure hanc aſſertionem niti legamus, conſequens eſt, matri nihil inde iuris competere.

§. LIII.

De transmiſſione hereditatis mediata.

Praeter transmiſſionum ſpecies hucusque legitime expoſitas, & illa commemoranda venit, quae per modum reſtitutionis in integrum certis ex cauſis conceditur, & mediata ſalutatur. Etenim facile euenire poteſt, vt heredes aliunde impediti hereditate potiri nequirent, eisque interea ante additionem, effluxo deliberandi ſpatio, mortuis, nec heredes eorum, vi illius regulae decantatae, ad adeundum admitterentur. Quod ſi igitur Praetori aequitatis & iuſtitiae ſtudioſiſſimo eiusmodi impedimenta legitima proponerentur, noluit heredum heredibus compe-

tentem ſibi hereditatem inuidere, hincque poſtulantibus per reſtitutionem in integrum ex generali clauſula ſuccurrebat. Caſum huc pertinentem praecipuum nobis ſuppeditat VLPIANVS *in l. vn. ff. ſi mul. vent. nom.* Solebant enim mulieres apud Romanos ſeſe interdum ventrem perferre fingere, cumprimis cum ſcirent optime, eos naſcituris, ſi de eorum ageretur commodo, plus fauiſſe, quam natis *l. 3. pr. ff. ſi pars hered. pet. l. 5. eod.* atque adeo poſterioris gradus heredes, vel extranei tamdiu ab aditione remouebantur, donec certum eſſet, num naſci id poſſit, quod in vtero erat; cum liberi, quos CICERO Reipl. Seminarium appellat, non tantum parentibus, ſed & Reipubl. naſcerentur. Quoties igitur fictae praegnantes bonorum poſſeſſionem impetrauerant, ſicque heredem legitimum ab adeundo arcuerant; toties eo interim mortuo, ac comperto expoſt mendacio, heres eius; aequitate praetoria contra omiſſam hereditatis perceptionem, ex perſona defuncti in priſtinum ſtatum reducitur atque heres efficitur. Alia exempla occurrunt *in l. 84. ff. de A. v. O. H. l. 12. ff. de carbon. edict.*; quae ex ipſa earum inſpectione patent. Illud tamen ſingulare in *l. 3. §. 30. ff. de SCto. Silan.* hic praetermittendum non eſt, dum nimirum ex eiusmodi SCto Sillan. ob necem occiſi per vim teſtatoris examen inſtituitur, heresque eo pendente e vita diſcederet. PAVLVS *c. l.* SCAEVOLAM laudat de iſtiusmodi herede ita loquentem: *Vt ad heredem ſuum vtiliter actiones transmittat, ſi forte ante aditionem deceſſit.*

§. LIV.

Aditio tollit. ſubſtitutionē

Tollit aditio, cuius hucusque effectus perluſtrauimus

mus ſubſtitutionem, non omnem, ſed *Vulgarem* in caſum impotentiae & voluntatis conceptam. Qui enim inſtituto heredi ſubſtitutus, in ſubſidium ſaltim, & ad euitandum caſum teſtamenti deſtituti, hincque euenientis caducitatis ſcriptus cenſetur. Idque leges expreſſis loquuntur verbis. Ita enim DIOCLET. *in l. 5. C. d. imp. & aliis ſubſt.* reſcripſit: *Poſt aditam hereditatem directae ſubſtitutiones, non impuberibus filiis factae, expirare ſolent.* Excluduntur ergo ab hac regula, tum ſubſtitutiones *fideicommiſſariae*, quae etiam ad heredis ſcripti mortem usque extendi queunt, tum *pupillares*, quae in caſum filii ante pubertatem decedentis fieri aſſolent. Idem vt de quaſi pupillari ſubſtitutione ſeratur iudicium, eius ſuadet indoles. Pendet ergo ab aditione heredis inſtituti ius ſpesque vulgariter ſubſtituti, quod egregie illuſtrant facti ſpecies *l. 60 69. d. A. v. O. II. & l. 3. C. d. impub. & aliis ſubſt.* relatae. Idque adeo verum, vt, ſi ex pluribus heredibus ſcriptis vnicus eorum ſaltim adierit, is, qui omnibus ſubſtitutus eſt, nihil lucretur, vnico illo adeunte iure accreſcendi totum as hereditatis acquirente. Aliud dicendum, ſi ſingulis heredibus ſinguli ſubſtituti, quo pertinere videntur, quae ſcripta leginus *l. 10. C. & l. 32. ff. de V. & P. S.* Quod & tunc locum obtinet, quando vnus pluribus heredibus ſingulatim ſubſtitutus; quo caſu reſpectu ceterorum, vno ex illis adeunte non tollitur ſubſtitutio. ZASIVS *ad l. 21. ff. de V. & P. S. n. 31.* Vlterius ex dictis colligimus, repelli ſubſtitutum, ſi minor heres ſcriptus adiit quidem hereditatem, ſed deprehenſa forte laeſione contra aditionem impetrauit in integrum reſtitutionem. Tractant Interpretes hanc quaeſtionem occaſione *l. 7. §. 10. ff. d. minor*, quam ſolide explicat, & a diſſen-

ſu aliorum vindicat COCCEIVS *in Iure Contr. ad tit. ff. d. V. & P. S. qu. VIII.* Denique illud quoque notatu non indignum videtur, nec, mortuo licet herede inſtituto ante aditionem, admitti ſubſtitutum, quamdiu heredis demortui heredes ius adeundi exercere poſſunt. Transmiſſio ergo hereditatis, quam paulo ante tractauimus, ſiue THEODOSIANA, ſiue IVSTINIANEA, ſiue quae ſuitatis iure contingit, ſubſtitutionem penitus eneruat. Inſtitutus enim heres non dici poteſt, noluiſſe adire hereditatem, qui ius, ex delatione enatum, legitime transmiſit in poſteros. Adde, quod transmiſſio in *l. 3. C. d. l. D.* praeferatur iuri accreſcendi, quod vbi deficit, certiſſimum iudicium praebet, nullam hereditatis partem vacare. Et quod quidam defendere conati ſunt, filium, qui teſtamento patris vulgarem ſubſtitutum accepit, deſinere eſſe ſuum heredem, ſolide profligatum legimus a VINNIO *Lib. II. Select. Quaeſt. c. 23.* euidenti argumento, quod effectus ſuitatis in transmittenda hereditate ante immixtionem maxime conſpicuus, ius ſubſtitutionis penitus excludat, & adeo hoc caſu verum eſſe, quod vulgo tradunt, *ſola ſui heredis exiſtentia expirare ſubſtitutionem.*

§. LV.

De Commodo & oneribus hereditatis.

Vidimus hucusque aditionis effectus ſpecialiores. Monet nunc creſcentis diſſertationis moles, vt vela contrahamus. Diximus ſupra, heredem ſuccedere in *commoda* & *onera* hereditatis. De vtrisque colligemus adhuc quaedam notatu non indigna, antequam dicta ad vſum fori transferamus. Poſſumus hac in re breuiori opera defungi, cum non *iuris hereditarii* effectus omnes, ſed eos cum-

primis

primis, qui *ab aditione pendent*, conquiramus. Tribuit ergo aditio heredi non ſolum, quicquid defunctus habuit, & transmiſſibile in ſucceſſores fuit, ſed & quod iacenti hereditati, quippe quae perſonae vicem ſuſtinet, acceſſit. Retrotrahitur aditio ad tempus mortis, ſeu, vt rem exprimit ICtus *in l. 54. d. A. v. O. H. heres adeundo hereditatem, iam tunc a morte ſucceſſiſſe defuncto intelligitur* conf. *l. 103. ff. d. R. I. l. 61. ff. d. A. R. D.* Et cum porro aditio ex voluntate defuncti expreſſa aut praeſumpta ius hereditarium indiuiduum producat, ex eodem fundamento heredi adeunti commoda *Iuris accreſcendi* obueniunt. Totum hoc natales Romano iuri debet, ſiue a media Iurisprudentia, ſiue Lege Papia introductum credamus, nec tamen ideo aut iniquum, aut abſurdum dici poteſt. Quid enim magis coniectura aſſequimur, quam quod vulgo traditur, maluiſſe defunctum, vt portio vacans inſtituto, & ad eandem rem a lege, vel teſtamento vocato obuentat, quam aliis, aut fiſco, cuius olim lucro vacantia cedebant. Nec minus adeundo heres onera hereditaria ſubit. Lucri enim & damni parem eſſe rationem aequitas iubet. Potuit heres non adire vel abſtinere. Poſt ergo, quam ſuſcepit defuncti patrimonium, non tam defuncti, quam ſuo facto obligatur. Venit autem aeris alieni nomine, quo non deducto non intelligitur hereditas, omne id, quod vel debuit defunctus, vel iacente hereditate, veluti in eiusdem rem verſum eſt, quo maxime geſtio negotiorum hereditariorum ſpectat. Ita ICtus *in l. 21. §. 1. ff d. neg. geſt. Qui negotia*, inquit, *hereditaria gerit, quod commodo ſibi hereditatem, ſeque ei obligat, ideoque nihil refert, an etiam pupillus heres exiſtat: quia id aes alienum cum caeteris hereditariis oneribus ad eum tranſit.* Proxime huic accedit

Retrotrahitur aditio ad tempus mortis.

Operatur ius accrescendi.

Obligat heredem aeri alieno.

actio funeraria aeque, certo tamen modo, aduerſus heredem conceſſa, ita enim VLPIANVS *in l. 14. §. 16. Si tamen quaſi negotium heredis gerens funerauit, licet ratum non habeat, tamen funeraria cum agere poſſe.* Iunge *l. 12. §. 4. eod.* Et hinc hereditarias actiones heres, peracta aditione, ſuſcipere tenetur *l. 2. C. d. her. vend.* inque hac facti circumſtantia, vt actor, intentionis fundamentum collocet neceſſe eſt; idque ſi indiuidua eſt res, quae debetur, aut obligatio, ex pluribus heredibus quilibet tenetur in ſolidum *v. l. 25. §. 9. ff. fam. ercis.* ſi diuidua, pro portionibus hereditariis *l. 6. C. fam. erciſc.* Paucis vt complectamur multa, *aditione tranſeunt bona defuncti cum omni onere perſonali & reali*, idque introducto rerum dominio coacum recte dixit GROTIVS *d. I. B. & P. Lib. III. c. 2. §. 1.* cum alias ex facto alieno nemo obligetur. Et haec ſunt; LECTOR HVMANISSIME, quae ad hereditatis aditionis ex Iure Quiritum veteri & nouiori illuſtrationem ſpectant. Cumque ſatis diu per pelagum Romanarum legum nauigauerimus, lintea iam domum dabimus conuerſa.

DE

Aditione Hereditatis ex Iure Germanico

CAPVT II.

§. I.

PLacet nunc, quae ex iuris Romani latifundiis de adeunda hereditate collegimus, ad vſum fori Germanici referre, ea nobis lege dicta, ne perſequamur ſingula, ſed attingamus ſaltim potiora. Pertinet ad officium ICti, non omnia ad antiquitates Romanorum ſolummodo reuocare, ſed altero etiam oculo ad vſum Germaniae, ſuis quoque legibus conſpicuae, reſpicere. Vtut enim Iure Romano, quod Iuſtinianus & ſeruauit & emendauit, egregia Iuris naturalis atque Ciuilis prudentiae documenta occurrant; certum tamen, peregrinas has leges a Germanis ſaltim ad vſum ſubſidiarium ciuitate donatas, nec adeo omnia eius ſanci-

Tranſitus ad vſum aditionis hereditariae in Germania.

ta

Sententia de vsu Iur. Rom. generatim exposita.

ta applicari posse. Pro regula ergo tenendum, ea quae Ius Ciuile ex iure naturae gentiumque, aut ex vniuersali prudentiae ciuilis fonte deriuauit, vti insita velut virtute obligant, ita nec vsu destitui apud Germanos, eo ad minimum effectu, vt valeant, donec probentur patriis legibus aduersa; illa vero, quae vel instituta Germaniae ignota supponunt, aut propriis Romanorum rationibus aptata, auctoritate destitui, donec probentur recepta. Restat ergo, vt hoc ad aditionis hereditariae negotium applicemus. Haec, quatenus solam voluntatis declarationem de suscipienda hereditate denotat, non Romanis propria, sed principiis iuris naturalis nititur. Quis hereditatis transferendae modus legibus ratione insitis conuenientior fingi potest, quam, vt testator eligat heredem, aut eos sibi successores tacite exposcat, quos sanguinis vinculum ad hereditatem adspirare iubet? heres autem, siue ex supremis tabulis, siue iure gentilitio succedens, an velit oblato lucro potiri, sese declaret, & sic ex mutua defuncti & heredis consensione nascatur eiusdem ius & obligatio. Vti vero leges successoriae, quas gentibus morationibus dictamen rationis suggessit, ciuitatum statutis ad decus & emolumentum familiarum & ad publicam vtilitatem curatius adaptari coeperunt; ita eodem modo gentes, & cum primis Romanos, aditionis negotium specialius definiuisse, constat. Non ergo dubitandum, Germanos in acquirenda hereditate heredis consensum requisiuisse, licet forte gens simplicitatis naturalis tenax formulas ritusque Latii ignorauerit. Sed postquam ius Iustinianeum Germaniam penetrauit, eo redit status controuersiae: an tradita Iuris Ciuilis de aditione hereditaria insimul recepta sint vniuersa? Ad quod vti distinctius respondendum; ita dato-

dabimus operam, vt praecipua ſub examen reuocemus. Certe Iuris Ciuilis ſancita, in quibus vel antiquae Cretionis veſtigia apparent, vel quae ex indole actuum legitimorum, qualis apud Romanos erat aditio, fluunt, illa parum curat vſus fori Germanici; quamuis negari nequeat, nonnullas eius generis concluſiones & axiomata ex ſcriptis ICtorum veterum in Digeſtorum libris occurrere. Hinc recte aſſeritur, moribus hodiernis aditionem per procuratorem fieri poſſe. Inutilem ergo putat, etiam quoad aditionem, TITIVS *Obſ. 895. ad* LAVTERB. antiqui iuris doctrinam, quo procuratori *directe*; mandanti *vtiliter* acquirebatur. Ceſſant ergo hae tricae, & quod quis per alium facit, ipſe feciſſe putatur. Nec, quae de curatoribus pro minoribus, & tutoribus pro maioribus infantia adeuntibus non ad effectum transmiſſionis *in l. 5. C. de iur. del.* habentur; nec, quod de furioſi curatore legitur *in l. f. § 7. & 8. C. d. cur. fur.* vſum praeſtant in Germania. Par apud Germanos curatorum tutorumque ratio, & ex facto horum pupilli minoresque & acquirunt & obligantur. Ignorant leges patriae differentiam auctoritatis & conſenſus, quam leges Romanae retinuerunt. Nec idonea ratio reddi poteſt, cur, quod mores in contractibus ſequuntur, vt tutor & curator ſolus gerat negotia, non obtineat eodem modo in acquirenda hereditate. Deinde quod *in d. l. f.* de *furioſo* habetur, vt per curatorem ius perpetuum circa delatam hereditatem non obtineat, ſi in furore deceſſerit, & iniquum eſt, & a mente teſtatoris prorſus alienum, obſeruante TIT. *Obſ.* LAVT. *847* atque, an eueniente caſu ad ipſa rerum argumenta adhibendum? dubitamus v. *Cap. I. §. 15.* Nec prodigus aditurus ſine curatore hodie obligabitur, licet iuxta *l. 5. §. 1. ff. d. A. v. O. H.*

aliter iudicandum videatur v. *l. 6. ff. d. V. O.* Sed cum praeſens aetas, in peiora ruens, prodigalitatis poenas plerumque negligat, haec rarius euenientia non fuſius perſequemur.

§. II.

An aditio iure Saxonico requiratur?

Quam euidenti etiam ratione nituntur ea, quae de aditione hereditatis eiusque neceſſitate non multo ante diximus; non defuerunt tamen, qui omnem, in extraneo herede Romano iure cumprimis conſpicuam, vſu non ſeruari in Saxonia contenderent. Hac haereſi infecti Triumuiri, & fori Saxonici Palladia, COLERVS *Lib. 1. Dec. 20. & 68.* RICHT. *Dec. 67. n. 26.* CARPZ. *P. 3. C. 14. D. 15.* Ita vero rationes nectunt: Inquiunt, in Saxonia hereditatem ſemper repudiari poſſe, nec heredem teneri vltra vires hereditarias LandR. *Lib. I. art. 6.* Inde concludunt, nec aditionem requiri, & hereditatem, quamuis non aditam, transmitti. De poſteriori concluſionis membro paulo poſt; de priori nunc videbimus. Non ea ſolum aditionis ratio, ne heres damnoſa hereditate citra voluntatem ſuam oneretur. Nec inuito quidem beneficium datur. Forte onus ſeu conditio teſtamento heredi adſcripta efficit, ne heres potiri hereditate cupiat. Abſurdum quoque denique eſt, vt inuito obtrudatur ſucceſſio. Sunt & alia telle HORNIO *in Diſſ. de Die Triges. §. 29.* quae hanc foro Saxonico obtrudere conſuetudinem diſſuadent. Is enim Iuris Saxonici quondam ſolertiſſimus Antiſtes, Scabinos Lipſienſes iam olim aditionem agnouiſſe, contendit, atque a praeſcriptione iuris adeundi hereditatem in LandR. *Lib. 1. art. 28. & 29.* fundata, argumentum ſat validum contra diſſentientes ducit.

ducit. Denique quod nouiores leges Electoratus Saxonici attinet, citra dubium illae de vſu certiſſimo iuris ciuilis quoad aditionis negotium teſtantur, quod DECIS. ELECT. *LVII. & §. 20. & 70. ex Reſolut. Grau. d. a. 1661.* abunde probant. Verba legum adductarum ſi inſpiciamus, inde quidem patet, Saxonum iure hereditatem obaeratam, licet ſuſceptam, beneficio inuentarii vel iuratae ſpecificationis repudiari poſſe; aſt quod Colerus adſtruxit, apertiſſime deſtruitur, cum cit. DECIS. ius deliberandi in Saxonia receptum; quia potius repudiatio, quam Saxones permittunt omni tempore heredi, vltra vires patrimonii non obligato, aditionem aut pro herede geſtionem ſupponit. Agnoſcit aditionis neceſſitatem REF. FRANCOF. *P. VI. t. 1. §. 1.* vbi: Einem jeden/ dem ein Erbfall aus einem Teſtament oder ohne Teſtament, auferſtorben / und er deſſen in gewiſſe Erfahrung kommen / gebühret ſich öffentlich mit Worten oder Thaten/ ob er ſolchen Erbfall antretten / und annehmen oder aber deſſen ſich (da er vielleicht beſorget / daß derſelbige zu viel mit Schulden beladen ſeyn mögte) entſchlagen wolte/ zu erklären: [adiecta ſequenti ratione, qua legatariis & creditoribus ita conſulitur] damit / im Fall ein Teſtament vorhanden / die legatarien / und andere / da aber kein Teſtament vorhanden / die Creditores und Gläubiger (ſo der verſtorbene einige verlaſſen) wiſſen mögen/ an wen ſie ſich ihrer habenden Forderung und Zuſprüche halben / ſollen halten. Er in Parte *III. tit. 54 §. 1.* des Hertzogthum Francken Landes Ger Ordnung / ſimiliter diſſertis verbis heredibus aditio hereditatis, adiecto inſimul, quo fieri debet, temporis ſpatio, iniuncta eſt, ita enim ibi legislator diſſerit: Damit die letzten

Willen nicht lange unvollzogen bleiben / auch diejenigen / denen etwas im Teſtament geordnet / oder ſonſten zuſtehet / wieder die Gebühr nicht auffgezogen werden: So ordnen und wollen wir / daß derjenige / ſo zum Erben inſtituirt und im Teſtament geſetzt iſt / innerhalb dem 30ten Tag; oder / im Fall derſelbige abweſendt / innerhalb 4. Wochen / von Zeit an ihme die Erbeinſetzung wißend worden / annehmen und unterziehen ſolle. Sufficiant haec ad probandam aditionis neceſſitatem, quippe quae ex ipſa negotii hereditarii natura reſultat, variisque praeterea rationibus in locis hic adductis ſuffulta deprehenditur.

§. III.

Im ſuorum heredum an in Germania receptum?

Maioris momenti videtur eſſe dispectio de *vſu ſuitatis*, maxime circa hereditatis paternae acquiſitionem, & transmiſſionem conſpicuo. Occurrit vero inter ICtos recentiores cumprimis HVBERVS *in Prael. Pand. t. d. A. H. §. 4. Non eſt valde mirandum*, inquiens, *ius illud rigidum ſuitatis poſt tot ſecula multarum vſu gentium eſſe abolitum, quando & ipſo iure Romano non parum ex eo detritum.* Sed *l. c. §. 1.* idem ICtiſſimus Belga monet, *vſum ſuitatis dependere ab vſu patriae poteſtatis excellentiumque eiusdem effectuum.* Quod vti veriſſimum; ita euidenter ſatis probat ſuitatis effectum, de quo nos loquimur, a Germanorum moribus nulla ratione abhorrere. Quis enim negauerit patriam poteſtatem vna cum iure Iuſtinianeo ea ratione receptam, qua efformata in eodem deprehenditur? Nouimus quorundam diſſenſum v. THOMASII *Diſſ. d. Quaſi-Emancip. Germ. §. 34.* & SCHILTERVM *ad Pand. Diſſ.*

Diſſ. 3. §. 11. ſeqq. & *Eiusdem Diſſ. d. Vſu practico tit. Inſt. d. Patr. Poteſt.*; & concedimus ante ius Romanum in fora Germaniae introductum, atque adeo a prima gentis origine usque ad Seculum XV. effectus iuris patrii a Romanis conſtituti Germaniae fuiſſe incognitos; ſed poſtquam peregrinae leges ſucceſſu temporis, iure ciuitatis Germaniae donatae, obtinere auctoritatem coeperunt, indeque factum ſubinde, vt ad iuris patrii, lege IVSTINIANI conſtituti, vſum prouocaſſe legamus ſtatuta ciuitatum & prouinciarum Germaniae [*vid.* ne deſint exempla, REFORM. FRANCOF. *P. 2. t. 1. §. 8. & 9.* & ex legibus SAXON. nouioribus *P. 2. Conſt. 10.* & DEC. ELECT. *LVII.* STRYK. *V. M. ff. ad tit. d. his, qui ſui*] Quid vetat igitur aſſerere, noſtra aetate mores legesque patrias doctrinam Romanorum de patria poteſtate recepiſſe, licet forte quasdam inde deductas concluſiones mutandas, vel addendum quicquam crediderint. Vigente ergo patrii iuris vſu in Germania, prona inde conſecutione colligimus, eandem obſeruantiae coniecturam de IVRE SVITATIS capiendam eſſe. Certe ſuis quoad ſucceſſionem prae aliis liberis, heredibusque extra lares paternos exiſtentibus ipſa naturalis ratio videtur praerogatiuam quandam indulſiſſe. De his enim prae ceteris intelligo effatum PAVLI *in l. 7. ff. d. bon. damnat.* vbi ait: *Naturalem rationem, quaſi legem quandam tacitam, liberis parentum hereditatem addicere.* Nec Germanis ſuos heredes penitus incognitos fuiſſe ante receptum Ius Romanum, indicio ſunt antiquitatis veſtigia, quae Ius Lubecenſe ſeruauit in liberis ſeparatis, quos emancipatis aequiparari & a ſucceſſione excludi conſtat, in fauorem liberorum; quos pater in poteſtate familiaque retinuit v. STRYK. *Vſ. Mod. ad t. d. adopt. §. 25. Idem*

de Succeſſion. ab inteſt. p. 124. Non ergo dubitamus adſtruere, ſuorum heredum iura forum Germanicum agnouiſſe, addemusque nonnulla, quae id ipſum illuſtrabunt.

§. IV.

Specialia de vſu iuris ſuitatis.

Sic ſui heredis qualitatem inter characteres indelebiles refert LEYSERVS *Spec. CCCLXIX. Med. IV. iuxta l. 30. §. 10. ff. d. fideicom. libert.* quam aliquoties in partes vocauimus, indeque concludit, liberos patris obaerati hereditati ſeſe non immiſcentes, nihilominus retinere nomen heredum, hocque vſurpando non ſuscepiſſe hereditatem, quod in extraneis leges non permittunt. Nec minus notatu dignum eſt, quod idem loco citato refert fictum illud, quo ſui in rebus paternis gaudent, dominium allegatum fuiſſe, licet perperam, ad alienationem a patre moribundo factam infrigendam. Probat etiam quodammodo ſuitatis praxin, quod CARPZ. *P. III. C. 14. D. 30.* aſſerit, dogma illud a nobis ſupra refutatum de nonagenaria iuris immiſcendi praeſcriptione, quam complures inter ſuitatis effectus referunt, in toris Saxoniae receptum, & ſupremarum curiarum decretis confirmatum eſſe. Decantatam differentiam ſuorum & extraneorum heredum ratione probandae immixtionis aditionisque ſupra tetigimus, retulimusque & Romani Iuris argumenta & ſententiam communi, vt vocant, calculo probatam, qua creditores contra ſuos heredes acturi, immixtionem eadem ratione, ac ſi extraneos heredes conuenirent, probare tenerentur STRYK. V. M. *tit. de A. v. O. H. §. 4.* Inde qui ſuitatis effectus vſu ſeruari negant, argumentum ſuae aſſertionis inuictum, vt putant, deſumi poſſe ſtatuunt.

Si

Si auctores haec afferentes inſpicias, eos plerumque de hereditate damnoſa loqui deprehendes, quo caſu immixtionis praeſumptio contraria coniectura elidituꝛ. Sed parum praeiudicii ſententiae noſtrae adferetur, ſi dixeris, id ipſum dogma, quo ſuos ipſo iure heredes fieri edocemur, quoad oneroſos effectus, quod paulo poſt praeiudiciis quibuſdam probatum dabimus, conceſſo abſtinendi iure exoleuiſſe. Quicquid ſit, ſupereſt ſuitatis effectus quoad hereditatis transmiſſionem, cuius vſum adſtruit LEYSERVS *l. c. Spec. CCCLXIX. Med. 8.* prouocatque ad tradita BERGERI *in ſupplem. ad Electa Discept. P. 1. p. 381. ſeqq.*

§. V.

Haec, quae pro iuris ſuitatis vſu in Germania §. *antec.* adduximus, nunc nouo quodam praeiudicio illuſtrari lubet. Eſto igitur, ad ſtabiliendam eo firmius noſtram ſententiam, Reſponſum ab illuſtri Collegio Iuridico, quod Ienae eſt, *Anno 1727. d. 28. Febr.* datum: vbi ſuus heres ante immixtionem & abſtentionem decedens, hereditatemque ad ſe deuolutam eſſe ignorans, pro ſua portione transmiſit hereditatem in heredes legitimos. Verba illius Reſponſi ita ſtuunt: Obwohl / daß ihr von des anno 1717. verſtorbenen Schwieger-Vatters N. N Verlaſſenſchafft / eures / nach ihres Vatters Todte anno 1722. gleichfalß verblichenen Weibes wegen / etwas zu fordern nicht berechtiget / es das Anſehen gewinnen mögte; dieweil 1) aus der ſpecie facti nicht zu erſehen / daß euer Eheweib entweder anno 1717 / da ihr Vatter verſtorben oder anno 1720. da ihr ſelbige geheurathet / ihre ratam

Vlterior vſus iuris Suitatis moderni illuſtratio.

in

in der Vätterlichen Erbschafft angetretten / und also dieselbe weder von der Mutter auff eure Kinder ex potentia sanguinis, noch von diesen auf euch hätte können transferiret werden. Hereditas enim non adita, non transmittitur ad heredes *l. 7. C. d. I. D.* CARPZ. *P. III. c. 14. d. 23.* LYNCKER. *Dec. 479.* & heredis heres regulariter hereditatem adire non potest. *l. un. §. 5. C. d. cad. toll.* vielmehr 2) so wohl eure Verstorbene Frau / als ihr / um die Vätterliche Verlaßenschafft euch nicht sonderlich bekümmert / sondern dieselbe der Schwieger-Mutter zu ihrer dispositiön überlaßen und euch gleichsam derselben begeben habt. Alldieweil aber 1) euer Eheweib biß an den anno 1717 erfolgten Todesfall ihres Vatters in der Vätterlichen Gewalt gewesen / des Vatters Erbin in sua portione ipso iure geworden / in welchem Fall denn die Rechte keine besondere Erklährung und Antrettung der Vätterlichen Erbschafft erfordern. *§. 2. Inst. d. her. qual. & diff. l. 11. ff. de lib. & posth. §. 3. Inst. de succ. ab intest.* und also ihre ratam an der Vätterlichen Verlaßenschafft etiam ante immixtionem & abstentionem auf ihre Kinder ex potentia sanguinis allerdings transferiret hat *l. 8. C. d. suis & leg. lib.* so müßen ꝛc. Non deessent plures adhuc nouiorum ICtorum sententiae, quibus suorum heredum praerogatiua prae aliis hodie agnita probaretur, nisi breuitati studendum esset, vid. SAND. *Lib. 4. tit. 9. def. 9.* Nec minus inter illustres effectus, quibus sui heredes a reliquis distinguntur heredibus, dispositio Imperatoris IVSTINIANI *in l. vlt. C. de repud. her.* referenda venit; qua videlicet suis heredibus paternam hereditatem recusantibus, nondum distractis fortunis, si minor intra septennium, sin vero maior intra tri-

triennium, ſuam reuocare conceſſum fuit abdicationem, quod adhuc hodie obſeruante BRVNNEM. *ad c. l. vlt.* in foris Germanici Regni obſeruari dicitur. iunge *l. 8. ff. de I.D.* Addi his meretur locus inſignis REFOR. FRANCOF. *Part. VI. tit. 2. §. 5.* quo ſui & emancipati aequo pari que iure cenſentur, ipſisque immiſſionis neceſſitas remittitur. Ita enim lex patriae: Doch da die Inſtituirte Erben keine Extranei ſondern Leibes Erben wären [quibus & emancipati ſubintelliguntur, quum ſolius ſanguinis hoc loco in parentum ſucceſſionibus habeatur ratio) dieweil denn dieſelben von Rechtswegen/ auch vermöge unſerer alten Reformation der Immiſſion nicht bedürffen / ſo laſſen wir es auch dabey verbleiben; ſie wären denn frembd und ausländiſch (quod a iure ciuili plane recedit, quo domicilii mutatione ſui heredis iura minime auferebantur) denn auff ſolchen Fall ſollen ſie nicht allein um die Immiſſion anhalten / ſondern auch was im dritten und nachfolgenden §. §. (loquuntur de extraneis) verordnet/ zu leiſten ſchuldig ſeyn.

Iure Francofurtenſi ſui ac emancipati pari paſſu ambulant.

§. VI.

Noſtra quoque nunc intererit, poſtquam de effectibus Iuris Suitatis, praecipue circa hereditatis transmiſſionem conſpicuis, diſſeruimus, in pauca ulterius conferre, quale Pragmatici moderni de probatione immixtionis ſuorum heredum ferunt iudicium. Reiiciunt cumprimis omnem neceſſitatem, vtpote ex rigidiſſima Romanorum patria poteſtate ortam, in caſu damnoſae hereditatis paternae; reſpectu vero lucroſae, ipſo iure acquiſitionem ac transmiſſionem agnoſcunt. Quod vel exinde probare

Cui immixtionis probatio hodie iniungatur?

conantur, quum nemo in ſui detrimentum ſeſe hereditati nociuæ immiſcuiſſe praeſumatur. Verum tamen, ſi quis a lege ipſa nolens volens pro herede habeatur, quod nec jure Prætorio mutatum: qui in contrarium nectitur præſumtionis nexus, concidit & reiicitur. Nec eos ratio iuuat, quando aiunt, filium non debere eſſe deterioris conditionis extraneo; imo ſi id verum eſſet, ſequitur, eum quoque & in reliquis huic ſimilem eſſe oportere. In vtroque enim herede, acquiſitionis hereditariae intuitu, compendii ac detrimenti aequale debet eſſe ius ac ratio. Sed quis audet, in tanto contradicentium numero iuris ciuilis diſpoſitionem, haud ſpernendis rationibus ſubnixam, quasque omnes hic enarrare longum foret, in vitam rurſus reuocare, poſtquam ex nimio erga liberos fauore vſu fori inductum, vt hi in favorabilibus legis miniſterio, nulloque eorum facto concurrente, optimo iure fiant heredes; in odioſis ex aduerſo pro talibus non cenſeantur. Hinc ſi forte a Creditoribus paternis conueniantur, ac callide negent, ſeſe haud immiſcuiſſe heredíolo paterno, onus probandi creditoribus iniungi ſolet. Facti enim eſſe immixtionem clamant, & ius negantis potius, contra quem factum non praeſumi, niſi aſſertum legitime ab allegante probetur, *l. 20. C. d. probat.* Subiungemus his praeiudicium aliquod ex RICHTERO *Vol. II. conſ. 39.* depromtum, vnde apparebit praxin hodiernam hoc in paſſu Iuri Ciuili nuncium remiſiſſe, & ſuum heredem citra facta vel expreſſam voluntatis explicationem de adeundo patrimonio in odioſis pro herede amplius haud fingere. Verba illius ita fluunt: Weilen die hereditatis aditio & immixtio in facto beſtehet/ und von dem/der ſolches aſſeriret/ erwieſen werden muß/ auch ohne des dem actori obliget

obliget/fundamentum intentionis darzuthun und zu probiren/ und die Kinder nicht gehalten wieder ihren Willen ſich hereditati paternae zu immiſciren/ dahero auch/ wann ſie ſich derſelben enthalten/ die debita paterna abzutragen nicht verbunden/ ſo folgt hieraus und euren angeführten rationibus und motiuen ſo viel/ daß ihr mit dem Beweiß zu verſchonen/ und vielmehr eure Gegentheil/ daß ihr euch der vätterlichen Erbſchafft angemaſſet/ wie recht zu probiren ſchuldig ꝛc. adde EIVSD. *Conſ. 38. n. 9.* vbi opinionem eorum, qui filium indiſtincte ipſo iure heredem faciunt, eique probationem, ſe beneficio abſtinendi vſum fuiſſe imponunt, contrariae poſtponit ſententiae, hiſce verbis: Es iſt aber die andere Meinung/ daß nemlich dem Kläger das onus probandi: filium ſe immiſcuiſſe hereditati paternae zukom̃e/ beſſer und von mehren Rechts-Lehrern beliebet/ dahero Beklagter N. weiſen er excipirt/ daß er ſeines Vatters Erbe nicht worden/ die vätterliche Schuld zu zahlen nicht ehe mag angehalten werden/ als wann/ daß er ſeinen Vatter geerbt/ erwieſen. In eo tamen propemodum omnes conueniunt, non tam exactam, vtpote in extraneo, immixtionis demonſtrationem exigi, modo creditores leuibus ſaltem argumentis ſuffulti[filium ſcilicet bona paterna aliquando adminiſtrauiſſe, fructusque ex fundo percepiſſe, probare queant, quo caſu praeſumtionem pro immixtione capiendam eſſe dicunt, adeoque negatiuam & contrariam iuramento interdum corroboratam probationem in ſe ſuſcipere filium compellunt. Subminiſtrat nobis ad id demonſtrandum praeiudicium praefatus RICHTERVS *Conſ. 31.* eum in modum conceptum: Seid ihr N. nach Abſterben eures Vatters in ſeinem Gut verblieben/ daß-

ſelbige nicht allein beſtelt / ſondern euch auch der Fruchtnießung angemaſſet ; Ob nun wohl dahero von den Gläubigern gemuthmaſſet wird / daß ihr gedacht eures Vatters Erb worden / deswegen auff die Bezahlung hart in euch gedrungen wird / da ihr aber nicht in Meynung euch des Vatters Erbſchafft zu immiſciren / ſondern nur allein deswegen eures noch rückſtändigen Muttertheils / des Iuris retentionis euch zu gebrauchen im Guth verblieben wäret / auch daſſelbige vermittelſt Eydts / damit ihr geſtalten Sachen nach zugelaſſen / erhalten würdet : ſo mögte euch ſolches zu Schaden und Nachtheil nicht gereichen / noch auch die aditio hereditatis dadurch erwieſen werden V. R. W.

§. VII.

An iure Germanico poſſeſſio ipſo iure tranſeat ?

Monuimus ſuo loco, poſſeſſionem ſola aditione in heredem non transferri. Quod vti Romano iure certiſſimum, ita & ipſa naturali ratione adiuuari videtur, nec Germanorum mores aliam ſequi regulam crederes, niſi quorundam opinio dogma illud inuexerit : *tranſire poſſeſſionem ipſo iure in heredem.* Sententiae huius natales HAHNIVS *in Diſſ. d. Tranſitione poſſeſſionis &c.* ex legibus Taurinis, quibus regitur Hispania, repetit, quibusue cautum, *vt bonorum Maioratus naturalis poſſeſſio, citra vllum apprehenſionis factum in ſucceſſorem tranſeat, licet alius bona apprehenderit ?* Penetrauit haec ſententia in fora Galliae, quod probat vulgata Gallorum paroemia : *Le mort ſaiſit le vif*, variisque prouinciarum Francicarum ſtatutis robur accepit. Idem in Italia contigit & Belgio. Ne ad fidem dictis faciendam accumulemus Auctorum nomina, effecit

cit HAHNIVS *c. Diſſ.* & SCHILTERVS *Exerc. ad Pand. XV. §. 12.* Nec doctrinam hanc ICtis Germanis ignotam eſſe, teſte CARPZ. *P. III. Dec. 224.* credimus, qui SCHILTERVM cumprimis *l. c.* defenſorem nactus eſt. Addunt, & in eo maxime aſſertionis fundamentum ponunt, quod praeter aliarum gentium Germanicae originis leges vetuſtas eandem ſententiam ſtabilientes, ipſum ius ALEM. *C. 224.* & SAXON. *in* Landr. *Lib. III. art. 85.* pro illorum effatis ſuffragium ferat. Sed nec certa ſatis eſt prisci iuris ſententia v. omnino STRYK. V. M. *Pand. ad tit. d. A. v. A. P. §. 7.* & de descendentibus ſolum heredibus, & ſucceſſione, quae ab inteſtato defertur, loquitur, & denique non de alia, quam *poteſtatiua*, vt ait SCHILTERVS, *poſſeſſione* intelligenda, quod eo nobis redire videtur, *quod heredi non niſi poſſeſſionis arripiendae poteſtas* competat, conſentiente nobiscum ICto celeberrimo LEYSERO *in Med. ad ff. ſpec. 371. Med. 4.* Non ergo eſt, vt deſeramus ius ciuile, quippe quod heredi facultatem arripiendae vacuae poſſeſſionis nunquam denegauit, ſed quae contradicit ſententia, potius ad errores Pragmaticorum, hodie ferme exploſos, referenda; quod etiam ICti rerum forenſium, morisque patrii peritiſſimi COCCEIVS *Iure controu. ad tit. d. A. H. Quaeſt. fin.* GAIL. *Lib. II. obs. 129.* HILLIG. *in* DONELL. *Lib. 7. c. 10. lit. C.* BRVNNEMANN. *ad l. 23. ff. d. A. & A. P.* SLEVOGT. *Diſp. d. Poſſeſſione non tranſeunte* STRAVSSIVS *Diſp. de herede ipſo iure non poſſidente* approbarunt, eoque inclinaſſe SCABINOS LIPS. de iure conſultos a 1691. GEORG. BEIERVS *in Poſ. ad ff. tit. d. Acquir. Her. §. 6.* refert.

§. VIII.

Exempla possessionis ipso iure transeuntis.

Interim, vti non negamus, effectus possessionis vacuae posse heredi legis auxilio sine apprehensionis facto applicari, ita necesse est, vt id asserens, tanquam assertum iuri communi aduersum, probet. Eius generis consuetudinem in Archi-Episcopatu Colonienſi vigere testatur ESBACH, *in Add.* ad CARPZ. *Part. III. Const. 9. dec. 27.* Aliud exemplum notatu dignissimum ex ORD. POLIT. MAGD. *d. a. 1688. c. 44. §. 15.* exhibet STRYKIVS *l. c.* Meretur ipsa dictae Ordinationis sententia apponi. Distinguit illa heredes *descendentes* ab *aliis*, & rerum quidem incorporalium possessionem, sine facto apprehensionis, quibuscunque heredibus addicit. Verba, quae huc spectant, ita fluunt: **Die** quasi-possessio iurium **wird ohne einzige Weiterung auf alle Erben/ ſo ſich der Erbſchafft angemaßet** (quod non de gestione solum pro herede, sed & verbali aditione, intelligo) **ohne Unterſcheid verfället.** De rerum vero corporalium possessione ita loquitur: **daß der Beſitz oder Gewehr der Güther/ ſie ſeynd liegend oder fahrend/ ohne einige leibliche Ergreiffung/ auf der Verſtorbenen Erben in abſteigender Linie** (siue sui sint, siue emancipati) **verfallen.** Denique in laudata lege sanctio adiicitur: **und einen andern/ der zu Ergreiffung einer Poſſeſs vorkommen/ und ſich in ſolchem Fall des Beſitzes zu nähern unterſtehen würde / es zu keinen Vortheil in und auſerhalb Rechtens gedeyen / ſondern vielmehr vor eine ſtraffbare That gehalten werden ſoll.** Quo ipso heredi egregie prospectum, & violentiis turbis, fraudibus, quibus vacans

cans poſſeſſio hereditatis ſaepius inuadi ſolet, omne adimitur iuris praeſidium, prudenterque cautum, ne improbiores hereditatum captatores abuti poſſeſſorio ſummario queant. Ex hac ergo lege ſequitur, heredem contra eos, qui rerum hereditariarum poſſeſſionem arripuerunt, interdictis retinendae poſſeſſionis, & mandati manutenentiae tuendum eſſe. Si enim iuris fictione heres pro poſſeſſore habetur, is ſine dubio turbat aut ſpolium committit, qui arripit rem a poſſeſſore non vacuam. Idque verum, non ſolum, ſi quis titulo hereditario iacentem hereditatem vniuerſam, aut eius partem inuaſerit, quam ſucceſſionis iure ad alium pertinere ſciebat, ſed etiam, ſi quis ex alia cauſa iacenti hereditati turbatiuo actu nocuerit; quo caſu ſecundum ius Ciuile dubium omnino, an heres remediis pro retinenda poſſeſſione proditis adiuuandus ſit. Enim vero, licet aditio ius heredis ad tempus mortis retrotrahat; vix tamen illud de poſſeſſione dixeris. Nec dici heres poterit turbatus, qui nondum poſſedit.

§. IX.

Germani poſt trigeſimum adeunt.

De Romanorum ſpatio nouendiali ſupra vidimus. Habet quoque ius Germanicum, quod illi comparandum. Triginta dierum ſpatium maiores noſtri conſtituerunt, quo quiescere hereditas, & defuncti familia ex luctus ſqualore emergere debebat. Meminit illius IVS SAXON. *Lib. I. art. 20. 22. 23. Lib. III. art. 15.* & IVS LVBEC. *P. 2. t. 2. art. 27.* cuius verba ſub calcem huius §. addidimus Plura collegit HORNIVS *in Diſſ. de Die Trigeſimo.* Seruat hoc ſpatium noſtra adhuc aetas, quod ob regulas forte decori,

decori, & vt heredi proſpiciatur, receptum. Et ita in foro Saxonico iſt vor dem Dreyſigſten der Erb niemand zu antworten ſchuldig / oder etwas zu geben verpflichtet. Quod ad aditionem hereditatis, disquiritur, vtrum ante trigeſimum hereditas iure Germanico adiri poſſit. Et Romanorum quidem inſtitutis indecorum videbatur, negligere ſpatium quiescentis hereditatis, & velut vulturio more inhiare lucro ſperato, non tamen ſimpliciter prohibitum nouimus heredi ſtatim poſt mortis momentum, licet nondum apertis tabulis, voluntatem de ſuscipienda hereditate declarare ex *l. vn. §. 5. C. d. cad. tollend.* Nec certe ius patrium aliud ſeruare, crediderim, nec aliud retenta trigeſimi obſeruatione ſuggerit, idque cumprimis, ſi de praxi noſtri temporis iudicium ferendum [conf. COLER. *Lib. II. Dec. 202.*] quicquid forte alii contradixerint. Notabilis eſt, quem in hac cauſa iuris Germanici vetuſtioris cultores in ſcenam proferunt, textus I. S. in LandR. *Lib. 1. art. 22.* vbi ſequentia leguntur: Der Erbe mag wohl einfahren zu der Wittbe in das Hauß/ oder Gut/ ehe dem Dreyſigſten. Non de aditione loquuntur, ſed compoſſeſſionis arripiendae potestatem heredi haec verba tribuunt, addita ratione, auf daß er bewahre/ daß nichts verlohren werde/ das ihm angehört. Cuſtodiae cauſa ipſi eſſe licet in praedio, eo modo, vt ſcriptum eſt in *l. 2. ff. pro hered.* ſaluo iure viduae, quod retinendo bona, donec ipſi ſatisfactum, exercet, idque heredi cumprimis neceſſarium, ſi forte alius poſſeſſionem praeſumatur arrepturus. Addit demum SAXO: Anders ſoll er keine Gewalt haben in dem Guth biß an dem Dreyſigſten. Eiusdem prorſus tenoris conſtitutionem in STATVTIS LVBEC., quae eodem ferme tem-

tempore vna cum Iure Saxonico, teſtante STRYK. *diſſ. prael.* in publicum prodierunt, deprehendimus, praeterquam, quod verba illius de heredibus ſolummodo legitimis, & ab inteſtato venientibus concepta videantur. Et vt eo commodius horum locorum conſonantia pateat, tenorem *c. l.* hic adiicere libuit. Haben Mann und Weib keine Kinder / ſtirbt der Mann / ſo mögen die nächſten Erben deßelben wohl zu der Wittib in das Hauß fahren binnen den Dreyßigſten Tag / auff daß ſie zu dem Gute mit ſehen / das ihnen und ihren Erben anfallen mögte / und ſoll die Frau mit ihrem Rath die Begräbniß beſtellen. Sonſten aber ſollen ſie an dem Guth keine Macht haben / biß ſo lang ſie theilen werden / nach dieſer Stadt-Recht. Gleicher geſtalt wird es auch gehalten / weñ die Frau ſtirbt: Quibus verbis non adeundi libertas ademta videtur, ſed ius disponendi de hereditate, quod ex aditione ſequitur, reſtringitur. Inde inualuit, vt nec reſignatio, nec inuentarii confectio, nec erciscundae familiae negotium ante lapſum trigeſimi ſuscipiantur, licet negandum non ſit, hanc legem inter coheredes conſentientes tuto poſſe negligi, v. STRYK. V. M. *ff. ad tit. fam herciſc. §. 12.* Certum ergo, ante trigeſimum adiri poſſe hereditatem, idque cum primis ad effectum transmiſſionis STRYK. *l. c. ad tit. d. A. H. §. 10.* vtile videtur, decedente forte herede ante trigeſimum, quamuis hac cautione opus non videatur, cum inſtituti heredis heredem ius deliberandi, & huic innixa transmiſſio adiuuet.

§. X.

De praeſcriptione iuris adeundi ita Ius Saxonicum antiquum in Land R. *Lib. 1. art. 29.* an Eigen uñ Erbe

Quo tempore iuri adeundi

 mag

apud Germanos praescriptiones?

mögen sich der Saeli verschweigen bey dreyßig Jahren / und Jahr und Tag und aber nicht des Reichs Schatz-Cammer / und die Schwaben mögen sich nunmehr verschweigen an ihrem angefallenen Erbe / dieweil sie es bezeugen mögen. Varia hic occurrunt, quae merentur, ne prorsus transmittantur intacta. Receperunt Saxones vetustiores triginta annorum praescriptionem in rebus immobilibus iuribusque, (idque & aliae gentes imitatae sunt,) ea forte ratione ducti, quia Germanis XXX. anni Seculum constituebant. PLIN. *Hist. Nat. Lib. XVI. c. 44.* Anni & diei adiectionem explicat SCHILT. *Exerc. ad ff XLV. §. 52.* Idque adhuc seruant Saxones iis casibus, quibus ius ciuile longi aut longissimi temporis praescriptionem applicat. Quare eadem praescriptionis ratio in iure adeundi hereditatem delatam obseruanda. Sueui an vsi fuerint praescriptionis iuribus dubitari posset, si conferantur, quae IVR. SVEV. habentur & excerpta legantur apud SCHILT. *l. c. §. 52.* vbi historia priuilegii habetur, quod Alemannos a nexu praescriptionis eximebat, nisi SVEV. IVR., quae vulgo circumfertur, COLLECTIO *art. 264. & 265.* vestigia Iuris Ciu. in hac causa luculenter expresserit. Cum Saxonica compilatio longe sit vetustior, quam Sueuica, mirum non est, hanc complura exotica ex peregrinis legibus immiscuisse. De fisco Caesaris dubia est legislatio Saxonica, an de bonis Principis patrimonialibus, hereditario iure quaesitis, siue de bonis vacantibus, quae fiscus successionis iure suscipit, intelligenda veniat? De vtrisque intelligi potest verborum figura an ihren angefallenen Erbe / quibus omnis casus, quo fiscus hereditario iure succedit, indigitatur, & si haec sequamur, non incongrue excludendi forent casus, quo fiscus hereditatis

ditates in poenam auſert. Quicquid ſit, videntur nobis Saxones vetuſtiores imitati eſſe gentium multarum mores, quibus fiſco in damnis & lucris non niſi immemorialis poſſeſſio obſtat. Iuris ciuilis ſententiam expoſuit STRYK. *d. Succ. ab. inteſt. D. 5. c. 1. §. 50.* Noſtrum vero non eſt disquirere, an fiscus Caeſaris ſtatuumque hoc iure gaudeat? De Gerada ſingulari patrimonio foeminarum apud Saxones, itemque de Heergevvetta, masculis debita, notiſſimus & frequens caſus exiſtit, vt ſiue retorſionis iure, ſiue ob ſucceſſorum defectum Magiſtratui acquirantur. Vti ergo Saxones ius capiendi bona vacantia Magiſtratui addicunt v. CONST. ELECT. SAX. *XXVIII. P. III.* LandR. *Lib. III. art. 80.* & in rebus mobilibus generatim praeſcriptione annua vtuntur; ita de Heergevvetta & Gerada idem diſpoſitum in LandR. *Lib. 1. art. 28.* vbi ita: Was erbloß ſtirbt/ als ein Heergewett Erb oder Gerade/ das ſoll mann antworten dem Richter oder Frohnboten/ oder es heiſchet nach dem dreyßigſten/ das ſoll dann der Richter behalten Jahr und Tag unverthan/ und warten/ ob ſich jemandts darzu ziehen wolte mit Recht. Kommbt da niemandt ſo kehre es der Richter darnach zu ſeinem Nutz. Quod tamen ita intelligendum eſſe cenſemus, vt ſi heres ex poſt legitima ac iuſta impedimenta, veluti belli calamitatem, captiuitatem, probare poſſit, iudicem res expeditorias ſ. Geradicas interim poſſeſſas illi reſtituere obligari Huc collineare videntur, quae leguntur, in STAT. AQVISGRAN. *num. XVIII.* in verbis: Wenn fahrend und beweglich Guth und Haab in der Stadt zu Aach/ oder uff dem Land in den Dörffern darzu gehörend/ erblichen anfält und anſtirbt/ daß er/ als fern er im Land iſt/ ſolch erb-

lich Guth binnen Jahr und Tag / darnach ihm ſolch Guth und Haab angefallen und anerſtorben iſt / oder darnach als er zu Land kommen iſt / in eines Jahres Friſt fordern und heiſchen ſoll / von dem / und an den Stellen / als ſich des gebühren werde: Wer aber diß in Jahres Friſt nicht fordert / der in dem Land wäre / oder zu Land quäme / der ſoll hinnach kein Recht haben ſolch Guth zu fordern. Quae vero de bonis tantum mobilibus hic diſpoſita conſpiciuntur, ad bona quoque immobilibia in STATVT. HAMB. *P. III. t. 3. art. 18.* extenſa fuiſſe legimus. Sic enim ibi: Fält Erb auf dieſer Stadt Bürger und Einwohner / darinnen ſie mit Recht gewaltiget und immittiret ſeyn / und haben ſolches Jahr und Tag beſeſſen / kähme darnach ein anderer aus fremden Landen / der ſich in nähern oder gleichen Grad angäbe / wird derſelbe bey ſeinem eydtlichen Eyd erhalten / daß er ſich / als ihm wißend gemacht worden / daß ſein Verwandter geſtorben / auff den Weg gemacht: So hindert ihn ſolches nicht an ſeinen Rechten / ſondern ſoll die Verwandtnüß / wie Recht bezeugen / und mag der Erb nochmahls bey Jahr und Tag / nachdem er den tödtlichen Abgang ſeines Verwandten erfahren / fordern. IVRE FRANCOF., cum certum temporis ſpatium hoc in caſu praefinitum non ſit, illud tacente ſtatuto, ex iure Ciuili omnino erit ſupplendum, & ne heredis negligentia in infinitum relinquatur impunita, ex ſupra adducta ratione triginta annorum cancellis includendum.

§. XI.

An aditio hereditatis ex pactis deferatur?

Cum Iure Germanico hereditas ex pactis deferatur, non

non inutile videtur disquirere, *an heres ex pacto successorio, eoque vniuersali, non nisi acquirat hereditatem?* Sed cui non, haec meditanti, statim in oculos incurrit insignis, quae inter pactitiam & testamentariam aut legitimam hereditatis delationem intercedit differentia? Qui testamento scriptus heres, aut cui lex addicit defuncti patrimonium, ei non nisi ius nascitur post mortem, mediante voluntatis declaratione suscipiendum; sed qui paciscitur de acquirenda hereditate, iam praesens voluntatem suam de eadem suscipienda exponit, & ex pacto ius hereditarium nanciscitur. Et certe non inepte sentiunt, qui successionem conuentionalem solis iuris naturae regulis apud Germanos regi asserunt, nisi statutis modificatam & determinatam. Pacto inest aditio, ex quo ius ortum in heredes transit, eo effectu, vt reuocari nequeat, sed heredibus quoque prosit, &, nisi ex voluntate paciscentium, aut negotii indole, ad certam personam restringatur, adeoque nihil ex testamentorum natura adsciscat. Supervacaneum ergo foret, post mortem paciscentis nouam de hereditate acquirenda requirere declarationem, licet certum sit, heredem pactitium hereditati renunciare posse. Quicquid ergo de aditionis effectibus hucusque dictum in successione iuris communis, illud in hac successione anomala ex pacti potentia consequitur. Idem eo casu dicendum, si testator viuus heredes scriptos pacto ad seruandam vltimam voluntatem, & ne forte deserant hereditatem, adegerit. Licet enim hoc modo testamentum, quoad ipsam institutionem, naturam conuentionis nanciscì, non ausim adstruere; ipsa tamen, quae testamentum confirmat, pactio, vim aditionis habere videtur. Sed an haec eodem modo de *mixtis*, quae vocant Pragma-

cessatio heredi pactitio?

gmatici, *pactis ſucceſſoriis*, & quorum cumprimis in pactitia coniugum Succeſſione vſus occurrit, intelligenda ſunt? Mixta vero dicunt, quae mutuo quidem conſenſu fiunt, ad inſtar tamen mortis cauſa donationum, atque ita inter pacta & vltimas voluntates fluctuant, & ex communi fori doctrina ad regulam Iuris Romani, licet perperam, conſtitui ſolent. Alienum ab inſtituto videtur, eorum naturam fuſius perſequi, quod praeter plurimos egregie executus eſt ICtus Celeberr. BOEHM. *in Diſſ. d. Succ. Coniug. hered. ex pact. dot.* Ad nos haec ſaltim pertinent intuitu aditionis hereditariae, cuius vſum demonſtramus, & eatenus, quatenus heredem vniuerſalem conſtituunt, quem caſum apud SAXONES in donatione mortis cauſa omnium bonorum iudicialiter facta exhibet CONST. *I p. 3.* Sed non alia nobis de illis ſententia, quam de pactis ſucceſſoriis aſſerta generatim, videtur ferenda. Requirunt illa acceptationem eius, cui ſucceſſionem addicunt, illaque ipſiſſima eſt aditio, cuius effectus, quia reuocari omnino poſſunt, ſuſpenſus, morte eueniente pleniſſime ſeſe exſerit.

§. XII.

De aditione hereditatis Religioſo delatae?

Non prorſus a ſcopo noſtro alienum eſt, ſi de hereditate Monacho delata, per aditionem acquirenda, paucis diſpiciamus. Cum enim Ciuile ius monachos & monaſteria non penitus ab acquiſitione hereditatis arceat, v. *l. 56. § 1. ſq. C. d. epiſc. & cler.* & quae habet SCHVRFIVS *Cent. III. Conſ. 41.* DECIVS *Conſ. 674.* GOEDDAEVS *Conſ. 25. n. 79. Vol. I. Conſ. Marpurg.*; ita multo magis acquiſitiones monaſticae ad amplificandas Eccleſiae

ſiae opes facientes Pontificio iure iuuentur. Primis naſcentis Eccleſiae temporibus rarior ſorte quaeſtio occurrebat de Clerico aut Eccleſia heredibus inſtitutis. Poſtquam Eccleſia in republica pleno iure frui coepit, nec Clericis defuit occaſio per delatas hereditates acquirendi. Vti clerici, quicquid intuitu officii olim ſacri acquiſierant, non Eccleſiae, cui inſeruiebant, ſed ſibi lucrabantur, ſic ſingulis hereditates delatas adire permiſſum erat. Omnes hae acquiſitiones Caſtrenſis peculii nomine veniebant, ſpiritualis militiae analogia ſuppoſita, quod iam ſuo tempore HIERONYMUS *in Ep. 2. ad Nepot.* reprobaunt, & AVGVSTINO haec particularis proprietas diſplicuit, adeo, vt illius abolitionem ſumma ope obtinere anniſus fuerit, remque eo demum perduxerit, vt ſui, qui cum eo communem vitam colebant, nihil proprii haberent, ſed Eccleſiae patrimonio acquirerent. Tandem Imperator IVSTINIANVS *in Auth. Ingreſſi in Monaſter. C. d. SS. Eccleſ.* omnem hanc ſibi acquirendi facultatem monachis ademit. Ceterum Ius Pontificium Clericis, non monachis, aliqualem acquiſitionem permiſit, vt patet ex *c. 3. x. de teſtam. & c. 5. eod.* introducto licet paupertatis, quod dicunt, voto, eoque non ſolum ex regula Baſilii maxime monachis, ſed etiam aliis Clericis certo modo impoſito. Hodie monachum nihil proprii habere poſſe, NICOLAVS *de* VBALD *de Succeſſ. ab inteſt. Cler. P. II. n. 1 ſeqq.* adeoque hereditatem ipſi delatam clauſtro, cui ſubiectus eſt, ad exemplum filiifamilias lucrari *l. f. C. de bon. quae liber.* neque eam adire, neque repudiare, ei conceſſum, niſi hoc fiat Praelati ſui ſuperioris conſenſu. Quo poſito corruit quorundam opinio, qua Monachi ciuili ſenſu habentur pro mortuis, & quibus

bus satisfecit BOEHM. *in Diss. de Succeſſ. in bona Cleric. § 19.* Quin potiur, filium monachum, licet P. P. per ingreſſum religionis liberetur, nihilominus iura & priuilegia ſuitatis retinere, aſſerunt Pontificii *arg. Nou. 81. c. 2.* it. *c. 61. de R. I. in 6.* Facili ergo negotio reſpondendum ad quaeſtionem, an hereditatis aditio Religioſo herede nuncupato demandari poſſit? Nullum reſtat dubium, quin a Praelato, cuius iuſſus omnino praecedere debet, vel ipſi Monacho heredi, quod neceſſarium eſſe vult BRVNNEM. *ad l. 4. C. de iur. del. n. 9.* vel alii ex Monaſterio *Clement. 3. de procur.* vel ut ſupra dictum, adminiſtratori aut aduocato deferri queat: cumprimis cum hodie, exploſis ſcrupuloſis ſolemnitatibus, per Procuratorem vel aliam perſonam hereditatis aditionis negotium perfici legitime valeat. Pertinent ea, quae huc vsque differuimus ad coenobia bonorum capacia. Merito itaque ab hac excluduntur vniuerſali acquiſitione omnes, qui profeſſione, quae non ſeculo ſolum eximit, ſed etiam ab omni proprietatis vſu excludit, obſtringuntur, vt Franciſcani, Capucini, aliaque minorum ordinum monaſteria, quippe quae, niſi ex ſpeciali ſummi Pontificis indultu, bona poſſidere nequeant. Et quidem hanc monaſteriorum acquiſitionem, quam in communi dicunt, CONC. TRID. *Seſſ. XXV. c. 3.* permiſit quibuscunque virorum & mulierum coenobiis, etiam mendicantium, exceptis Capucinis & fratribus minoribus de obſeruantia. Sed de Monachorum indiuiduali ſeu particulari acquirendi facultate expreſſe ſtatuit *c. 6. X. de ſtatu monach: Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulae Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*, adeo, vt CANISIVS *ad Decretal. p. 367.* Monachum hoc impetrato indultu, ex

mo-

monachari aſſerat. Verum quis crederet Pontifices, qui omnia poſſunt, hos iuris diſpenſandi limites poſitos agnoſcere, ſi meminerit, INNOCENTIVM III. *in c. 4. X. de conceſſ. praeb.* aſſerere, ſe ſecundum plenitudinem poteſtatis de iure poſſe ſupra ius diſpenſare v. ZIEGL. *in notis ad* LANCELL. *Ed. Thom. p. 567. & 650.* LVDOVICVS de CASANATE *Conſ. 20.*

§. XIII.

Deliberandi beneficium ius Romanum in fauorem heredis introduxiſſe, ſupra ſcripſimus, ne heres adeundo, ante inſtitutum de hereditatis viribus examen, ſe aere alieno exſoluendo oneraret. Eiusdem vſum exiguum complures ex ipſa iuris ciuilis ſententia adſtruunt, poſtquam introducto inuentario heredi ſatis cautum. Sed vti ad vnum finem pluribus contendere mediis nusquam prohibitum, hincque appoſite SCHILTER. *Exerc. ad Pand. XXVIII. §. 107*: *Eſt tamen neque prohibitum, neque inconſultum, aliquando ſpatium deliberandi ſumere. Nam & ipſum inuentarii conficiendi beneficium ſpatium requirit, & confectio deliberationis & animi deſtinationis norma eſt*; ita ſpatii deliberatorii vſum, Germaniae non incognitum, complura euincunt documenta. Inſignem hanc in rem ex LL. SAX. ELECT. nobis locum ſuggerit DEC. *LVII.* in verbis; Wollen wir / daß zwar denen Erben das *ſpatium deliberandi annuum*, ſo ihnen die Rechte verſtatten / und auff 52. Wochen zu rechnen iſt / allerdings verbleiben ꝛc. Praeter vſum deliberationis, quam lex Saxonica ex iure ciuili hauſit, duo hic occurrunt ſingularia, alterum, quod indiſtincte annus heredi ad deliberandum ipſo iure indul-

An ius deliberandi valeat iure Germanico?

geatur, nec, quae iure ciuili obtinuit, ſpatii deliberatorii petitio requiratur, forte ex ſententia *l. 9. C d. l. D*: alterum, quod ciuilis ille annus modo computetur, non additamento Saxonico amplificatus. Idque notatu dignum ex eadem lege Saxonica, heredem beneficio *iuratae ſpecificationis* hereditatem aditam repudiaturum, illam intra deliberationis annum debere edere, in verbis: Jedoch pflichtig ſeyn ſollen/ in Mangel des Inuentarii vor Ausgang des Jahres ſolche ſpecification in Gerichten niederzulegen. Porro in ORD. SAX. PROC. RECOGN. *ad. t. 17.* vbi de proceſſus reaſſumptione prorſus abolenda agitur, ita inter alia: Und ihnen allerſeits mit dem beneficio deliberandi ſich zu behelffen nicht nachgelaſſen ſeyn: euidenti argumento, generalem iuris deliberandi vſum obſtitiſſe nouae ſanctioni, qua heredes ad litem a defuncto coeptam citra reaſſumptionem ſtatim, aut continuandam, aut refuſis expenſis deſerendam obſtringuntur. Aliud exemplum iuris Statutari, quo vſus ſpatii deliberatorii ex regulis prudentiae modificatus ſiſtitur, ſuggerit nobis REF. *Vrbis Imper.* FRANCOFVRT. *Moeno fluuio adſitae*, vbi *P. VI. tit. 1. §. 2.* ſequentia leguntur. Und nachdem die Rechte dem Erben hierzu [ad adeundum] Bedenck-Zeit (dieweil es etwan mit der Erbſchafft gefährlich und mißlich iſt/ alſo daß ſich offtmahls dabey mehr Beſchwerungen mit der Zeit/ als man Anfangs gewüſt hat/ befinden) eines Jahr lang gnädiglich mitgetheilet/ & mentione in ſubſequentibus de beneficio inuentarii facta demum pergit: So wollen wir den Unſern/ auch den Ausländiſchen hiermit freygeſtellet haben/ ſolcher Weg einen/ welchen ſie wollen/ zu wehlen. Sic generatim, iure deliberandi aſſerto, tem-

pus

pus laudatae *R. Franc. §. 3.* ita determinat. Die weilen aber die obgemeldte Zeit des Jahres / denjenigen / ſo etwan auch Erben ſeyn / oder werden mögten / desgleichen den Legatarien und Gläubigern zu erwarten zu viel beſchwerlich / ſonderlich wenn auch zu beſorgen / daß mittler Zeit mit denen Güthern in den Erbfall gehörig / nicht zum beſten noch treulichſten mögte umgegangen werden. Equidem ſat valide hae rationes ad coarctandum deliberationum tempus ; aſt an his ceſſantibus, ceſſet quoque ſubſequens ſanctio, affirmare non auſim ? Audiamus vero, quae inſequuntur verba: So ordnen und ſetzen Wir / wann der oder die / welchen ein Erbfall / in oder außerhalb Teſtaments auſſerſtorben / alhier anweſend / auch / daß ſolcher Erbſchafft ſie berichtiget / wiſſend ſeynd / daß ſie obbemeldte Erklärung innerhalb zweyer Monathen / ſo ſie aber abweſend / und doch wiſſend wären (denn denen Unwiſſenden hierin keine Zeit zu ſetzen) inwendig eines Viertel Jahres oder Dreyer Monathen zu thun ſchuldig ſeyn ſollen. Pariter ius deliberandi in STATVT. WORMAT. receptum eſt, cuius verba *P. III. Lib. 4. tit. 10.* ita ſonant : Ein jeder der in einen Teſtament zu Erben gemacht oder geſetzet / iſt er gegenwärtig / ſo ſoll er haben 4. Monath / iſt er aber abweſtlich oder auſländiſch / der ſoll ein Jahr haben ſich zu bedencken / ob er das Erb annehmen / oder des ſich entſchlagen woll. Notatu quoque digna eſt de iure deliberandi diſpoſitio, quae habetur in ORD. IVDIC. MERCAT. LIPS. *Tit 23.* Wenn ein Falit verſtorben / und bey ſeinem Leben nicht allbereit bonis cedirt / es ſeye das Falliment annoch bey ſeinem Leben / oder allererſt nach ſeinen Todte ausgebrochen / ſollen deſ-

ſen Kinder / oder wem ſonſt die Succeſſion vermöge der Rechte gebühret / innerhalb 8. Wochen / ob ſie entweder ohne Bedingung, oder nach den Kräfften der Verlaßenſchafft / und cum beneficio inuentarii der Erbſchafft ſich anmaſſen / oder auch derſelben ſich begeben wollen / ſich deutlich erklähren / in deßen Verbleibung aber von der Succeſſion gäntzlich ausgeſchloſſen / und ein Curator bonorum ex officio beſtättiget werden / allermaßen denn das denen Erben vergönte ſpatium deliberandi, ſo ſich ſonſten nach gemeinen Rechten auf eine Jahr Friſt erſtrecket / in ſo weit gäntzlich auffgehoben ſeyn ſoll. Vlterius notamus probroſam nonnullis prorſus videri quoad defuncti perſonam, inuentarii confectionem COLER. *Dec. 68. n. 4.* CARPZ. *P. 3. c. 33. d. 18. n. 7.* Nec adeo deſunt conſtitutiones ac leges diuerſarum regionum, quibus ſimpliciter adeuntes proximioribus, inuentarium conficere volentibus, praeferuntur. Hoc in Gallia teſte PAPON. *Lib. 21. tit. 9.* obtinet; vnde Regum reſcriptis, quibus inuentarii beneficium implorantibus reſpondetur, ſequens adiungi ſolet clauſula : *Dummodo alius non ſit, qui ſe heredem ſimplicem dicat.* Idem receptum eſſe in Belgicis Prouinciis teſtatur GVDEL. *de Iure Nouiſ. Lib. II, tit. 18. conf.* ZOESIVM *ad ff. tit. d. Iur. Del. in fin.* Sed haec *in nuce.*

§. XIV.

An beneficium inuentarii valeat iure Germanico?

Sed num inuentarii beneficium ius patrium & praxis fori Germanici recepit? Sunt, qui dubitant, *idque,* inquiunt, *deberi moribus Germaniae antiquis, ſecundum quos heres adeundo hereditatem ſe non vlterius obligaſſe cenſetur, quam pro*

pro quantitate patrimonii, adeoque nec ius deliberandi, nec beneficium inuentarii iure Germanico neceſſarium ſuit. Scribimus haec teſtibus SCHILTERO *Exerc. XXXVIII. §. 151.* HARTM. PISTOR. *Lib. II. quaeſt. 2.* Nituntur maxime *iurata*, quam dicunt, *ſpecificatione*, de qua nos paulo poſt, qua exhibita, nec inuentario heres indiget, nec retinere aditam hereditatem tenetur. Sed licet non prorſus fallantur, qui ita ſentiunt, certum tamen eſt, id, quod de iurata ſpecificatione aſſeritur, non in omnibus Germaniae prouinciis pari ratione obſeruari, & prodeſſe inuentarium iis, qui iurare detrectant, nec deeſſe ſtatuta, ius ciuile, quod ad inuentarii effectum attinet, confirmantia, qualia laudat STRYK. *V. M. ff. ad tit. d. I. D. §. 2.* REF. NORIMB. *t. 38. leg. 1. §. 2.* IVS STATVT. HAMBVRG. *P. 3. t. 7. art. 2.* WORMAT. *P. 3. Lib. 3. t. 27.* Sed omnium loco nobis memoranda venit REF. FRANCOF. vbi *P. 3. t. 1. §. 2.* haec habentur: **Darneben auch noch einander Mittel / nehmlich die Wohlthat des Inuentarii verordnet / alſo wenn der Erbe** proteſtiret / **daß er die Erbſchafft anders nicht / dann mit ſolcher Wohlthat des** Inuenturii **wolle angenommen haben / daß als denn ohne ferner Bedencken und Fürſorg er den Erbfall wohl antretten möge / und demnach den** Creditoren **weiter nicht / denn ſo viel in der Erbſchafft gefunden wird / zu bezahlen verpflichtet.** Et in legibus quoque Saxonicis recentioribus inuentarii mentionem factam legimus. Exemplum ne deſit, in ſupra laudata DECIS. *LVII.* occurrunt verba: **Nach Inhalt eines beſtändig auffgerichteten** inuentarii. Non placet in re notiſſima plura conquirere exempla. Magis ad ſcopum facit diſpectio de Inuentarii conficiendi requiſitis. Recordamur

certum modum conficiendi inuentarii in *l. f. d. I. D.* praeſcriptum, quem an Praxis Germaniae receperit, quidue addiderit, videamus. Occurrit primo loco *obſignatio* rerum hereditariarum, quam vſus introduxit: eaque *ſolennis* a Notario, adhibitis teſtibus, aut a Iudice perficienda. Ignorat eam Ius Romanum quippe quod ad euitandam expilatae hereditatis ſuſpicionem *c. l. f. §. 10.* inuentarium iureiurando confirmare heredem iuſſerat. Et licet extra caſum ſtatuti eam expreſſe approbantis nec hodie ad neceſſitatem & formam inuentarii pertineat obſignatio, ſuadet tamen prudentia, vt adhibeatur. Rem ipſam moribus locorum & ſtatutis in Germania paſſim definitam legimus, quo pertinet exemplum ex IVRE MAGDEB. cum adiuncto Reſponſo apud STRYKIVM *V. M. ff. ad tit. d. I. D. §. 3. ſeqq.* Facta obſignatione, eaque a Magiſtratu diſquiritur, an reſignatio ab aliis, aut priuata heredum auctoritate perfici queat? Mores & ſtatuta locorum vti in obſignando, ita in reſignando obſeruanda eſſe non abnuimus, quae, ſi deficiunt, ſtandum communi iuri, quod, cum obſignationis & reſignationis negotium ignoret, ex regulis generalioribus & iuris analogia ferendum eſt iudicium. Obſignat autem iudex vel imploratus, vel ex officio; illo caſu non dubium, quin conſentientibus heredibus licita ſit reſignatio ab ipſis, quorum intereſt, aut a Notario legitime requiſito facta. Contra ius fasque eſt, iudicem ſe obtrudere inuitis in negotio ciuili extra contradictionem poſito, & eo pertinent, quae tradidit LEYSERVS *in Med. ad ff. ſpec. 364. med. 4. & 5.* Aſt aliud dicendum, ſi minorum cura iudici incumbens, aut iudicis cõmodum forte ob ius detractus, aut creditorum petitio iudicis officium ad obſignandum excitauerit.

An neceſſaria obſignatio?

§. XV.

§. XV.

An requiſita Iuris Romani circa inuentarium recepta?

Inuentarium Iuſtinianus intra menſtruum poſt apertas tabulas ſpatium inchoari, intra LX dies praeſente herede, eo vero abſente intra annum abſolui praeceperat. Equidem proſtant ſtatutarii iuris quaedam in ſententiam iuris ciuilis concepta exempla, quod STAT. HAMB. *P. III. tit. 7. art. 2.* & NORIMB. *tit. 38. leg. 1. & 2.* probant, & moribus hoc tempus prorogari poſſe aſſerit CARPZ. *P. III. C. 33. D. 13.* idque ex momento arreptae poſſeſſionis computandum cenſet MEVIVS *P. IV. D. 180. 1* vnde videtur pro vſu practico iuris ciuilis ferenda ſententia: docet tamen optima rerum magiſtra experientia, ſpatia illa plerumque negligi, & adeo vera eſſe, quae habet MEV. *P. II. D. 356. n. 11.* vbi notanter ait: *Hodie nullibi tam ſtrictam conſtitutionis Iuſtinianeae formae inuentario praeſcriptae obſeruantiam reliquam eſſe, ſed aliqua imo multa in vſu eſſe deſiiſſe. Deinde vti certum eſt plerisque in locis, praeſertim in Germania, pluribus eius legis praeſcriptis contraria vel alia conſuetudine eſſe derogatum, ita etiam ei conſequens, non praeprimis, vbi de inuentarii forma & ſubſtantia quaeritur, conſiderandum, quid conſtitutio illa velit, ſed quid conſuetudo alicubi receperit.* Porro & inuentarii ſolennia *Nou. I. c. 2.* citatio creditorum & legatariorum, hisque abſentibus tres teſtes, inſimulque heredis ſubſcriptio, & vt tabularii manu ſcribatur appoſito venerabili ſigno crucis requiritur. Et haec plerumque negligi praxi edocemur. Notarii teſtiumque aut Iudicis praeſentia has ſolennitates ſupplere ſolemus. Ad id probandum, placet nunc modum conficiendi inuentarii IVRE PATRIO adiicere,

iicere. Apparebit exinde satis abunde, iuris ciuilis solennitates vt plurimum in desuetudinem abiisse. Commemorat hoc expressissimis verbis REFORM. FRANCOF. *P. VI. t. 3. §. 5.* in sequentibus: **Wiewohl nun auch die Rechte zu solcher Inuentirung mehrerley** Solennitæten **erfordern / welche doch fast allenthalben / und also auch bey Uns in Abgang gekommen. So ordnen und wollen Wir / daß die Form der** Inuentirung **allermaßen / wie die von Alters her bey Uns herkommen / auch nachmals soll gehalten werden.** Oportet autem eo iure heredem intra mensem, non vt Iur. Ciu. post apertas tabulas, sed a tempore mortis eius, ad cuius bona adspirare velit, confectionem inuentarii petere [adiecta insimul certa poena, si hoc tempus absque iusta ac legitima causa neglexerit] illudque intra duos menses, si bona extra territorium sita, finire. Quae omnia quum potissimum Iure Rom. procedant, verba Reformationis ipsa apponere, superfluum esse putauimus. Notabimus tamen singulare illud, quod circa tutores inuentarii confectionem curantes *cit. loc. §. 3.* occurrit, vbi ita: **Wären auch die Erben unmündig und doch mit Vormündern versehen: So sollen dieselben Vormünder / in den nächsten acht Tagen nach den sie aufgenommen und bestättiget werden / die** Inuentirung **vornehmen / und aufs längst in Monaths Frist vollenden.** Personae vero inuentarium conficientes *c. l §. 5.* ita denominantur. **Nemlich aber / daß die** Inuentarien **durch unsern geschwornen Gerichts-Schreiber (doch wegen Zeit sterbender Läuft auch andere glaubwürdige** Notarien **hierzu gebraucht werden) und Obersten Richter / und dann derjenigen / so um die** Inuentirung **haben angesucht / geschehen.** Et sic nec subscriptione

ptione heredis, nec citatione legatariorum ac creditorum opus eſt, ſed vt praeter annum, menſem & diem, nomina Inuentarii confectionem impetrantium ſub initio duntaxat adiiciantur, omnesque res tam mobiles, quam immobiles ſimpliciter non aeſtimatae, tam obligationes, vt vocant, actiuae, quam paſſiuae, bona fide inſerantur, quod verba *c. l.* poſteriora innuunt. Solches auch zu Eingang des Inuentarii, item in was Jahr/ Monath/ und Tag/ auch durch wen / und auf welcher Perſohn Begehren und Beyſeyn daſſelbige Inuentarium aufgerichtet / eigenti. geſetzet und beſchrieben / demnach alle des Verſtorbenen Haab und Güther / liegend und fahrend auch Brieffe/ Regiſter/ Schulden und Gegen-Schulden / in ſolches Inuentarium treulich gebracht werden. In IVRE FRANCONICO DUCALI *Part. III tit. 55.* ſolenne inuentarium expreſſe ſublatum eſt; vtque coram duabus perſonis iudicialibus a Notario conſcribatur, inductum, hac addita ratione, ne nimium Iuris Ciuilis ſubtilitatibus heredes forſan ſentiant incommodum. Denique dicta ORDINATIO *cit. loc.* perſequitur: Und ſoll der Erb zu Verfertigung eines ſolchen Inuentarii ordentlich drey Monath dilation und Zeit haben / gleichwohl aber ihme aus genugſahmen Urſachen / nach Erkändtnüß itzo genanten unſern Gerichte/ eine längere Zeit darzu gegeben werden. Er der Erb auch immittelſt von jedermänniglichen ſolcher Erbſchafft halben ungemüſiet und unangefochten bleiben. Et in *art. 1.* der Hamburgiſchen *Fallit-* Ordn. ſingularia quaedam circa hereditatis aditae reſtitutionem, mediante inuentario faciendam, occurrunt. Merentur ipſa praedictae Ordinationis verba hic apponi: wenn die Erbſchafft nicht hinlänglich / ſollen

die Erben alſobald denen Creditoribus es anzeigen / darbeneben auff deren Anfordern und Begehren / auch wenn nur gleich einer derſelben anhielte / ſchuldig und gehalten ſeyn / mit einem Cörperlichen Eyd zu erhalten / daß ſie mit beregter Inventirung richtig verfahren / nichts verſchwiegen noch veräuſſert / und darauff die gantze hereditàt denen Creditoribus abtragen ſollen. Et quamuis hodie praeſumptio ſit pro inuentario, quod iuratae ſpecificationi aequiparetur, adeo, vt tantum alterutrum exigi ſoleat, Ein zu recht beſtändiges Inuentarium, oder in Ermangelung deſſen eine Eydliche ſpecification, nihilo tamen ſecius IVRE FRANCOF. Iuris Ciuilis diſpoſitio recepta, ſi ſuſpicio aliqua fraudis in heredes, ſiue in eos quorum deſiderio inuentarium confectum, cadat, (cum facile, vbi obſignatio defuit, aliquid ſupprimi potuerit,) ita vt illam iureiurando expurgare heredes adigi valeant; verba c. l. §. 11. ita audiunt: Es ſollen auch den Legatarien / Glaubigern und allen andern / ſo der Erbſchafft halben intereſſe haben mögen / zugelaſſen ſeyn / gegen dem Inuentario, wenn ſie vermeynen / daß es nicht rechtmäßig nach dieſer Ordnung gemäß / aufgericht / oder daß nicht alles darinn treulich gebracht ſeyn ſolte / nicht allein ihre Einrede zu thun / ſondern auch die Erben / ſo inventiren laſſen / auf den Eyd / daß nichts durch ſie hinterhalten / ſondern alles ſo ihnen bewuſt / treulich in das inuentarium kommen ſey / zu bringen.

§. XVI.

Forma inuentarii iuxta Re- Quod, licet ſatis certum ſit, notamus tamen, nec hac in parte deeſſe leges prouinciarum Germanicarum for-

formam Iure Ciuili praeſcriptam preſſius ſequentes: vid. LAUTERB. *diſſ. de Inuent. hered.* Occurrit eius generis legislatio memorabilis in STATVTIS HAMB. *P. III. tit. 7. art. 4.* Nec deſunt ICti, qui in dubio ſolennitates Iuris Ciuilis adhibendas putant, vid. RICHT. *Dec. 59.* Alicubi ſolennem inuentarii formam deprehendimus aliquatenus expreſſa lege mutatam vel auctam. Sic IVRE WuRTENBERG. requiritur, ut heres apud iudicem profiteatur, ſe inuentarium confecturum, atque duas ſibi perſonas iudiciales adiungi petat, denique vt confectum rerum hereditariarum repertorium in iudicio deponat, vid. in Würtenb. LandR. *P. III. tit. 22.* In STATVTIS NORIMB. *tit. 35.* cautum, vt inuentaria priuatim confecta, in iudicio praeſentibus legatariis aut creditoribus iureiurando confirmentur. Aliter res decita Chur & Pfaltz. LandR. *P. III. tit. 39.* Et ſi dicendum, quod res eſt, legatariorum aut creditorum praeſentia Notarii teſtiumque fide, & quae inde naſcitur, praeſumptione ſuppletur. Si quae forte fraudis adſit ſuſpicio, ea facile iureiurando heredis purgari poterit, ipſa adſtipulante *lege 22. §. 10. C. de I. D.* vid. MEV. *P. IV. D 92* & STATVTARII IVRIS *diſpoſitionem*, quam §. *anteced.* adduximus. Nec dupli poenam heredem hodie euitaturum, credo ex *l. f. §. 10. C. d. t.* ſi fraudis conuictus fuerit, licet diſſentiat RICHTERVS *Dec. 59.* Notabilis hoc loco, ſi heres aliquid ex rebus hereditariis doloſe reticuerit vel ſurripuerit, nobis ſe offert quaeſtio: Num heres hodie, ſi fraudis fuerit conuictus, beneficio inuentarii priuari, atque adeo ad vniuerſa legata praeſtanda, nec minus ad omne aes alienum exſoluendum obſtringi poſſit? In Iure Ciu. nullibi extat huius beneficii priuatio, quippe quod

mano praeſcripta vbi hodie obſeruatur?

An heres doloſe quaedam ſurripiens beneficio inuentarii priuetur?

in tali caſu heredem ad duplum reſarciendum obſtringit, inde patet eum, qui expilauit hereditatem vltra vires patrimonii non teneri, niſi lege expreſſa id volente. Ea occurrit priuationis Inuentarii legislatio in REFORM. FRANCOF. *Part. VI. tit. 3. §. 8.* cuius verba haec ſunt: Würden dann in ſolcher Inuentirung etliche nahmhaffte Stücke durch die Erben wiſſentlich und vorſetzlich verſchwiegen und hinterhalten: Und man ſie deſſen alſo überwieſe: ſo ſollen ſie damit obgemelte Wohlthat des inuentarii, darzu derjenige / ſo den Vſumfructum und Beyſeß an ſolcher Nahrung gantz oder zum theil haben mögte / denſelben auch verwirckt haben. Ita quoque ſtatutum eſt in IVRE HAMBVRG. *Part. III. tit. 7. art. 5.* in verbis: Würde aber der Erbe die obgeſetzte Form zu inuentiren in einen oder mehrern Puncten überſchreitten / oder etwas gefährlicher weiſe zu inuentiren verſchweigen / verhalten / oder verbergen / und deſſen überwieſen werden: ſo ſoll er die Schulden / und alle legata, ungeachtet daß er ein Inuentarium auffgerichtet / und die Erbſchafft vielleicht nicht ſo viel vermöchte / zu bezahlen verpflichtet ſeyn; Adde *eiusdem Ciuitatis* Neu- und Reformirte *Banqueroutier*- und *Falliten*-Ordnung *art. 2. in fin.* In IVRE WÜRTENBERGICO in Land-R. *Part. III. tit. 2.* idem expreſſe ſancitum. Praeterea eodem loco *Part. IV. tit. 3. §.* Inmaſſen wir den ꝛc. de coniuge ſuperſtite & ex bonis mariti quaedam dolo malo furripiente ſingulare illud diſpoſitum legimus, vt mulier reſtituta re abemta vſumfructum iure prouinciali in defuncti bonis conſtitutum, non tantum amittat, ſed & alia carceris vel pecuniaria poena plectatur. De uſu fori hac de re quoad SAXONIAM, vid. RICHT. *Dec. 59. num. 16.* Eadem poena

poena heredibus fraudem in inuentarii conſectione committentibus, nec non aliquid ſurripientibus in *Part. III. tit. 55. §. vlt.* des Hertzogthum Francken-Lands Gerichts-Ordnung dictata reperitur, vbi haec legimus: Würde aber der Erb in Inuentirung des Verſtorbenen Haabe und Güther etwas gefährlicher weiſe hinterhalten / verſchweigen / und nicht in das Inuentarium bringen und beſchreiben laſſen / und ſich daſſelbe hernach beſtändig befände / ſo ſoll ihm das gemachte Inuentarium weiter nichts nützen oder fürträglich / ſondern er vonwegen ſolches begangenen Betrugs ſchuldig und verbunden ſeyn / alle legata und Schulden gäntzlich ohne Abgang / da es gleich die Erbſchafft nicht erreichen thut / von den ſeinigen zu bezahlen und auszurichten.

§. XVII.

De vſu iuratae ſpecificationis.

Poſtulat tractationis ratio, vt de *iurata*, quam vocant, *ſpecificatione*, cuius iura *Ingens fori Germanici Decus*, MEVIVS, eleganti Schediasmate expoſuit, videamus. Vtuntur hac Saxones cumprimis, eamque in Electoratu DECIS. *LVII.* approbatam nouimus, Dantur etiam, qui eam generali Germaniae conſuetudine niti aſſerunt, quo pertinent verba ſententiae a LEYSERO *ſpec. 365.* relatae, vbi: vermittelſt Uberreichung eines richtigen Inuentarii, oder in deſſen Ermanglung nach der in Teutſchland heut zu Tage eingeführten Gewohnheit die Herausgebung einer Eydlichen ſpecification mit einem ſolennen Inuentario gleiche effectus hat. Sed non videtur illud ſimpliciter aſſerendum. Audiamus MEV. *P. 6. D. 411.* ubi ita:

Quod alias obtinet, vt qui aliena bona, detinent & administrant, teneantur edere inuentarium, aut eo non confecto iuratam designationem, & cum illud deest, per hanc debito defunguntur, non pertinet ad heredem, vt etiam per talem designationem iuratam beneficio inuentarii frustur, nec vltra vires hereditatis teneatur. Soli enim inuentario, eique solenniter confecto a lege is effectus tribuitur, non nudae designationi, vtut iuramento corroboratae. Et certe ſtatuta, quae huc vsque allegauimus, pleraque eius mentionem non faciunt. Quare nec eandem, niſi probatis moribus aut ſtatuto, inuentario aequiparandam credimus. An aequa ſit haec conſuetudo, conſultaue cum LEYSERO *l. c.* non diſputabimus. Spes lucri & auri ſacra fames quem ad peierandum inducere poteſt, ei etiam ſuppeditabit callida conſilia, quibus Notarii teſtiumque aut iudicis in conficiendo Inuentario circumſpectam ſolertiam fallere queat. Quod effectum iuratae deſignationis attinet, aſſerunt eam vim ſolennis inuentarii obtinere, adeoque non ſolum confuſionem patrimonii impedire, & heredem à ſolutione aeris alieni vltra vires hereditarias liberare, ſed illud etiam cumprimis operari, vt licet ſimpliciter heres adierit hereditatem, poſſit tamen huius beneficio quocunque tempore repudiare patrimonium ſusceptum, & ſe a moleſtiis damnoſae hereditatis liberare. Et quod ad forum Saxonicum ſpectat de his nullum fere reſtat dubium. Alibi vſum iuratae deſignationis ad ſolos heredes reſtringi videas, adeo, vt ratione creditorum vim inuentarii nulla ratione tueri valeat. Teſtis huius aſſerti eſto MEVIVS *P. II. Dec. 96.* qui tamen ſibi ipſi contrariari videtur *P. VII. D. 50.* Sed dubito, quin ſolida diuerſitatis ratio dari queat. Nam quod heredes in lucro,

cre-

creditores in damno vitando verſentur, gratis dictum videtur a BERGERO *Oecon. Iuris p. 492. n. 2.* Vtriusque intereſt, res hereditarias ſeruari, & contra vtrosque aequa ratione militat enata ex iureiurando praeſumptio. Denique an heredis heres ad iuratam ſpecificationem admittendus, eo cumprimis fine, vt iudicet, quid ad vtramque hereditatem pertineat, ſeu vt clarius rem eloquamur, an locus in hoc negotio iuramento credulitatis detur? Celebris eſt inter Pragmaticos diſceptatio. Tractant illam RICHTERVS *P. I. D. 58.* BRVNNEM. *ad. l. ſ. C. d. I. D. n. 43.* CARPZ. *Part. III. Conſt. 33. Def. 14.* LEYSERVS *in med. Spec. 365. med. 4.* Et quamuis in eo facile largiendum, quod debilior omnino ſit fides iuramento credulitatis munita, cum tamen non alia ſuperſit via cognoſcendi hereditatis vires, meliusque ſit probabili, quam nullo veritatis fundamento niti, ab aequitate alienum eſſet, heredem heredis ab omni iurisiurandi vinculo abſoluere.

An heredis heres ſpecificationem iuratam edere teneatur?

§. XIIX.

Iure Ciuili heres negligens inuentarii beneficium in ſolidum & creditoribus & legatariis obligatur. Praeſtat ergo legum germanicarum de hoc obligationis effectu ſententiam in medium proferre. Ita vero in REF. FRANCOF. *Part. VI. tit. 3. §. 17.* Da jemand dieſe Ordnung überfahren / und nachdem er die Erbſchafft angenommen / das Inuentarium gar unterlaſſen hätte / derſelbe ſoll wiſſen / daß er nicht allein alle des Verſtorbenen hinterlaſſene Schulden / ſondern auch / wenn derſelbe ein Teſtament auffgericht / alle darinn vermachte Lega-

An iure germanico creditoribus heres in ſolidum reuocatur?

ta,

ta vor allen zu bezahlen und zu entrichten (obgleich sichs so weit nicht erstrecket) schuldig seyn / darzu auch des Abzugs Falcidiae sich gar nicht zu gebrauchen habe. Et ne minores, delata ipsis hereditate & a curatoribus adita, damno afficiantur, vel restitutionis ambagibus implicentur, in eadem *P. VI. tit. 1. §. 6.* sancitum: So auch die Erbschafft etwan minderjährigen Kindern / oder Personen / so mit Vormündern und Curatoren versehen / anfiele: So sollen dieselbe Vormünder den Erbfall nimmer anders / denn mit ausdrücklichen Vorbehalt obbemeldter Wohlthat des inuentarii, in ihrer Pfleg-Kinder Nahmen annehmen. Ad idem praestandum STATVTA COLONIENSIA *de anno 1437. art. 12.* heredem obligant: Et postquam ibidem in praecedentibus liberis sine inuentario hereditatem suscipientibus, debitorum paternorum exsolutionem incumbere, dictum: ita in subsequentibus inuentarii consecti effectus apposite notatur: Mehr nehmen sich die Kinder des Guths und Erbs an / ouermitz eines inuentarii, so sollen sie nicht fürter schuldig seyn zu bezahlen / denn alsoviel des Guths wäre / das sie sich also angenommen und unterwunden hätten / als fern das reicht und langt / und fürter nicht. Addemus his quoque dispositionem des Hertzogthum Francken-Lands Gerichts-Ordnung *P. III. tit. 55. § 1.* vbi: Und weilen diejenigen / so ex testamento vel ab intestato Erbschafften angenommen / Versehung der Rechten nach grosse Beschwerden und Nachtheil offtermahls daraus entstehen mögen / den der also schlechterdings eine Erbschafft annimmt und adiret / würde dadurch verbunden / alle des testatoris Schulden darzu auch die Legata auszurichten und zu bezahlen / unge-

ungeachtet in der Erbschafft so viel nicht gefunden und ererbet würde. Poltea autem heredibus hereditatem sibi delatam adeuntibus consulitur, vt negotium illud, ne aeri alieno sese impliceant, neque legatariis ac fideicommissariis ultra patrimonii vires tenti sint, inuentarii ope perficiant; verba *c. l. §. 3.* haec sunt: Und da sie besorgten/ die Schulden mögten das Vermögen des Erbs übertreffen/ daß er ante aditionem hereditatis protestirte/ daß er solche Erbschafft nicht anders wolle annehmen/ denn so weit sich die Güther derselben erstrecken/ und darauff wolle er ein gebührlich Inuentarium auffrichten und denn dieser Ordnung nach alles was in der Erbschafft zu finden ist/ ordentlich verzeignen und auffschreiben lassen. Eadem habentur in STATVTO WORMATIENSI *P. III. Lib. 3. §. 27.* & HAMBVRG. *P. III. t. 7. art. 2.* IVS CIVICVM LVBECENSE rem quidem expresse non exprimit, testatur tamen MEVIVS *ad Ius Lubec. P. II. t. 1. art. 7. n. 3.* omisso inuentario heredem in solidum, vti iure ciuili cautum, teneri in illis locis, vbi vsus iuris LVBECENSIS viget. Non ergo statuta Germaniae a ciuili iure fecerunt diuortium, quae post hoc in fora nostra receptum inualuerunt. Facili negotio plura possent colligi, ni operae & chartae parcendum esset. Sunt vero, ne quicquam, quod ad rem pertinet, relinquamus intactum, qui iure Canonico, cuius iam, ante Ius Romanum introductum, insignis apud Germanos autoritas extitisse creditur, inualuisse putant, non teneri heredem vltra vires patrimonii, quod a defuncto in eos transiit. Allegant *c. 5. x. d. rapt. incend.* vbi ALEXANDER III. rescripto ad Episcopum Claremontanum iussit, vt *heredes incendiarii his, quibus ille per incendium vel alio*

modo damna contra iustitiam irrogauit, iuxta facultates suas condigne satisfaciant. Voluit hic Archiclauis totius Monarchiae Ecclesiarum, vt damnum datum a defuncto resarciat heres, idque secundum modum patrimonii, quod reliquit, definiendum, sed id ipsum, quod nos disputamus, de obligatione heredis inuentarium non conficientis, nullatenus tangit. Sed his contradicunt iure ciuili sancitis cumprimis Saxones, quibus cum iurata bonorum hereditariorum designatio inuentarii vicem suppleat, eaque omni tempore edi queat, consequens est, heredem licet neglecto inuentario nunquam teneri vltra hereditatis vires. Accedit veteris iuris Saxonici dispositio, quae in LandR. *Lib. 1. art. 6.* his verbis concepta legitur: Wer aber das Erbe nimmt / der soll durch Recht die Schuld gelten / als fern / als das Erb gewähret / an der fahrenden Haab. Duo hic notanda, alterum, vltra hereditatis substantiam non teneri heredem, alterum, aes alienum saltim ex mobilibus soluendum, quod postremum tamen ob diuersas Codicum lectiones dubium redditur teste SCHILTERO *Exerc. 38. §. 122.* nec cum moderna praxi Saxonica conspirat. Prius obseruari, omnium suffragia testantur. Nec in allodialibus solum, sed & feudali successione obtinet. Huc praeter alia legum Saxonicarum loca, quae paulo post dabimus, spectant verba des Torgauischen Ausschreibens *tit.* welcher Gestalt die *agnati §.* dieweil aber dennoch ꝛc. v. HARTM. PISTOR. *Lib. 2. q. 2.* COLERVS *P. II Dec. 68.* RICHTERVS *Dec. 60.* FRANZKIVS *Lib. III. Res. 6.* CARPZ. *P. 1. d. 25.*

§. XIX.

§. XIX.

Si ergo ex Saxonum moribus heres non tenetur vltra id, quod adeundo ex hereditate acquiſiuit, liceatque id ipſum beneficio iuratae ſpecificationis indicare, conſequitur vlterius, regulam iuris ciuilis, qua hereditas ſimpliciter adita repudiari nequit *l. 3. & 4. C. de repud. vel. abſt. hered.* Saxonum moribus non obſeruari. Nihil enim refert, ſiue heres, ſiue curator bonorum creditoribus ſatisfaciat; & recte in hac cauſa CARPZOVIVS *P. III. Conſ. 14. def. 31.* vtitur communi axiomate: ceſſante prohibitionis ratione, ipſam repudiandae hereditatis prohibitionem eneruari. Et quod debitori conceditur flebile ceſſionis Bonorum beneficium, cur denegatur heredi, qui aes alienum non contraxit, & cum Iure Saxonum non teneatur de ſuo ſoluere, iuſtiſſime deprecatur damnoſae hereditatis moleſtias. Non vero poſſum non his, quae de Saxonum legibus adduximus, ea addere, quae in ELECTORATV; DECISIONE *LVII.* habentur, & mores Saxonum certa ratione ad Romani iuris ſententiam reduxiſſe & attemperaſſe videntur. Verba eiusdem ita fluunt: Da ſie die von ihnen angemaſte Erbſchafft denen Glaubigern / nach Inhalt eines beſtändigen auffgerichteten Inuentarii; oder in Mangel deßen einer eydtlichen ſpecification abtretten wolten / ſie zwar damit zugelaßen werden / jedoch pflichtig ſeyn ſollen / in Mangel des Inuentarii, vor Ausgang des Jahres ſolche ſpecification in Gerichten niederzulegen / und zugleich in der eydlichen Beſtärckung / auf Begehren derer Glaubiger / anzuerbiethen / auch ſolches bey Abtrettung der

Iure Saxonico hereditas adita repudiari poteſt.

Erbſchafft ohne rechtliches Erkäntnüß würcklich zu leiſten. Salua ergo, ſi haec expendas, manet Iuris Saxonici regula, repudiari poſſe hereditatem aditam; ſed ſpatio eandem deliberandi annuo adſtringi, adeoque ius ciuile & Saxonicum coniungi. Pergit deciſio: Würde aber einer oder andere ſolchen vorgeſchriebener Maßen nicht nachkommen / oder obgeſetzte Friſt verſtreichen laßen / ſo ſollen ſie ferner mit der renunciation der Erbſchafft nicht zugelaßen ſondern dieſelbe / ſo weit ſie ſich / vermöge eines beſtändigen Inuentarii, oder endlichen ſpecification, erſtrecket / zu vertretten / bey verſpürter Vortheilhafftiger Gefährde aber auch vltra vires hereditatis die Glaubiger von ihrem eignen Vermögen zu bezahlen angehalten werden.

An & quatenus moribus heres ex defuncti delicto obligetur.

Nec ergo dubium, quin, quod ipſum ius naturae aeterna ſanctione muniuit, & Romanorum inſtitutis ſupra probatum, apud Germanos valeat, heredem ſuſtinere defuncti perſonam, eiusque obligationibus obſtringi. Sed cum Romani hanc regulam in delictis cumprimis limitandam cenſuerint, ad nos videtur pertinere, vt disquiramus, an Germanorum Jurisprudentia ciuilis iuris placita adoptauerit, temperetque heredis ex defuncti delicto obligationem. Priuatam laeſi ſatisfactionem, quam ius ciuile heredi non imponit, niſi ex defuncti delicto locupletato, aut poſt litis conteſtationem, velut interpoſita nouatione, quaſi ex conuentione obligato, complures ex aequitate Canonica deriuare ſolent in foro Germanico, adeo vt ſecundum *c. f. x. de ſepult. c. 5. x. d. raptu. c. 3. x. d. pign.*

pign. heredem, aditione defuncti perſonam repreſentantem, pro viribus hereditariis damnum reparare fas ſit. Sed non deſunt, qui pro vſu Iuris Ciuilis in foro Germanico pugnant. Quod enim imprimis negent, ius ciuile recedere ab aequitate, nec tutum eſſe in conſcientia heredem, fruſtra iactatur. Male actum eſſet cum rebus humanis, ſi leges ſubditi obſequium iisdem praeſtantis conſcientiam laedere dicamus, quis negaret, in ſtatu Ciuili eam eſſe imperantis poteſtatem, vt obligationis effectus limitare queat? accedit ICtorum autoritas RICHTERI *Dec. 96. n. 156.* CARPZ *P. IV. Conſt. 12. Def. 9.* STRVVII *S. I. C. Ex. 46. §. 82.* TABORIS *in Racemat. Crim. Diſſ. 1. §. 64.* Adde, quod ipſe textus des LandR. *Lib. 1. art. 6.* actionem aduerſus heredes indulgeat, quatenus ad eos peruenit, his verbis: Dieberey/ Raub oder Spiel-Geld iſt er [heres] nicht pflichtig zu gelten/ noch keine dergleichen Schuld/ denn ſolche/ der er Nutz oder Wiederſtattung empfangen hätte ꝛc. & LandR. *Lib. III. art. 31. in f.* ad litem conteſtatam reſpiciat, atque ſic cum *l. un. C. ex delict. defunct. her. in quant. conu.* amiciſſime conſpiret. Quod ad obligationem ad poenam attinet, intuitu patrimonii primo loco actiones poenales occurrunt, quarum vſum practicum in foris noſtris complures prorſus negant, quod cum in praeſentiarum ſub examen reuocare non liceat, ſaltem notandam putamus doctrinam CARPZ. *Lib. III. tit. 4. Reſp. 39. n. 2. ſeqq.* aſſerentis hodierna praxi omnem mulctam fiſco applicandam non niſi poſt ſententiam heredes obligare, nec litis conteſtatae tempus, quod ad hanc attinet, attendi, idque forte *ex l. 29. ff. de accus.* hauſtum. Sed vti haec ſuis auctoribus relinquimus, ita ſilentio praetereundum haud eſt, quod GLOSSA *ad* IVS

LandR. *Lib. II. art. 35.* habet: Mit dem Tode wettet man zugleich dem Richter/ und büßet den Kläger/ quod Praxis & leges Saxoniae maxime in furtis & homicidiis applicare solent, ita, vt reo corporis afflictiuam poenam patiente, heres nec iudici ad expensas in inquisitionem & executionem factas, nec laeso ad damni restitutionem teneatur. De homicidio & recepto apud Saxones Weregeldo expresse loquitur CONSTITVTIO *XII. P. IV.* in verbis: Wann jemands wegen eines begangenen Todtschlages auf peinliche Beschuldigung am Leben/ oder aber auch nach Gelegenheit mit Abhauung der Hand/ oder Staupen-Schlägen gestraffet/ und verwiesen/ derselbe soll des umgebrachten Söhnen oder nächsten Freunden/ die Gerichts-Kosten oder andern Abtrag [quo intelligitur satisfactio priuata occisi cognatis necem defuncti vindicaturis praestanda] Wergeldum, Sühn oder MannGeld LandR. *Lib. III. art. 45.*] zugeben nicht schuldig seyn. Eadem legislatio iam olim teste HEIGIO *P. II. §. 23.* in similibus delictis, incendio, rapina, veneficio, applicata, demum DECIS. ELECT. *16.* ad furtum, quod Saxones poena patibuli plectunt, traducta, cuius verba ita fluunt: So ist doch unserer *XII. Const. P. IV.* gemäß/ und in unsern Landen vorlängst also gesprochen/ wenn ein Dieb gehangen/ oder mit Staupen-Schlägen des Landes ewig verwiesen/ oder anstatt der ordentlichen Straffe/ ihm das Gefängnüß zuerkandt/ und er darinnen versterben wird/ auch die entwendete Sachen nicht mehr vorhanden/ oder veräussert/ daß die Erben den Werth derselben zuerstatten nicht angehalten werden sollen. Tandem per MANDATVM REGIVM *d. a. 1719.* haec Saxonici iu-

ris

ris regula exoleuit penitus, quod reo licet vltimo ſupplicio adfecto, eiusque heredi damni reſtitutionem & impenſarum refuſionem imponit.

§. XXI.

Heres occiſi teſtatoris necem non vindicans hodie ſe indignum haud reddit hereditate.

De herede ad necem defuncti vindicandam obligato addemus paucula. Nemo Romano iure ad accuſandum propter inſcriptionis cumprimis neceſſitatem cogi potuerat *l. 7. pr. de accuſat.* excepto herede *l. 15. §. 2. de SCto Silan.* Sed videas disquiri, an ea etiamnum hodie in eodem manſerint robore? Primum, quod pro negatiua producamus aſſertione, eſto generalis ſanctio CAROLI. V. *in Conſt. Crim. art. 214.* vbi: auch in dieſem [loquitur ibi IMPERATOR de furto] und andern dergleichen Fällen zu klagen wieder ſeinen Willen nicht genöthiget/ und wo der Beſchädigte nicht peinlich klagen wolle / ſo ſoll dennoch die Obrigkeit den Thäter nicht deſtoweniger von Ambtswegen rechtfertigen / und nach Gelegenheit der Perſohn und Uberführung ſtraffen laſſen. Et licet *c. art.* de furto ſolo loqui videatur ſuadet tamen iuſtae interpretationis ratio, omnibus haec aptari delictis: Alium plane Roma vetus hoc in caſu ſeruauit modum. Non poterant eo iure Iudices ſine accuſatore procedere. Sic TVLLIVS *pro Roscio c. 20. Nocentem,* inquit, *niſi fuerit accuſatus, damnari non poſſe.* IDEM & alio loco ita diſſerit: *Cum crimen eſt ſine accuſatore, ſententia ſine conſilio, damnatio ſine defenſione, certe immanis quàdam barbaries eſt.* Vid. EVNDEM *Lib II. c. 45. in Verrem.* conf. hic GLOSS. *in l. 2. §. pen.* verb. *ſine accuſatione ff. ad L. Iul. de adult.* Vnde euenit, vt heredes hocce accuſa-

accuſationis onus, ne poena nefandi eiusmodi ſceleris prætermittatur, ſuscipere tenerentur. Verum, quum hodie ad iudicis officium pertineat, aduerſus delinquentes inquiſitionis proceſſum excitare MEV. *P. V. dec. 301.* conſequens eſt, ratione legis ceſſante, eius quoque diſpoſitionem amplius in vſu eſſe non valere. Accedit ſecundo vſus fori & Academiarum in Germania contrarius v. CARPZ. *Pr. Crim. Quæſt. 34. in f.* & HERTIVM *in Opuſculis* de hoc themate ex profeſſo tractantem. Dantur & alii, qui in hac materia hanc adhibent limitationem, dicentes, obtinere moribus modernis, vt heres poſſit hereditate priuari, ſi iudici forſan ignoranti patratum homicidium non denunciauerit, quod ſi admitteremus, hereditas neque ad ſubſtitutum neque ad legitimum heredem deuoluitur, vt vult BERGER *Oec. Iur. p. m. 512.* Sed cum fructibus omnibus ab herede interim perceptis Fiſco adiudicentur, cuius rei rationem clare exhibet VINNIVS *in ſelect. Lib. 1. qu. 14. in fin.* Aliam limitationem v. apud PISTOR *Obſ. 56.*

§. XXII.

De uſu *l. 7. ff.* de Reg. Iur. in foris Germaniae.

Heredem in re certa, etiam minima, inſtitutum, alio coherede vel ſimpliciter vel pro parte haud dato, integrum defuncti conſequi patrimonium, ſupra retulimus. Quod vti de Iure Romano certiſſimum & a CICERONE *ſecundo de Inuentione c. 12.* graphicae quoque proditum, ita nonnulli teſtante LEYS. *Spec. 361. Med. 5.* ICtos Belgas ſectati, & hac in materia ius Quiritum ſubtilius, quam par eſſe, verſari ſtatuerunt, eiusque vſum in foro Germanico aeque nullum eſſe, adſtruxerunt. Fallun-

tur

tur tamen, qui hanc tuentur ſententiam, cum praeter plura praeiudicia paſſim obuia non ita pridem in Camera Imperiali in cauſa v. KERSENBRVCK *contra* v. BVSCH confirmata inferioris iudicis ſententia, vſum *l. 7. ff. d. R. I. & l. 41. ff. de V. & P. S.* veriſſime comprobat. Adiudicauit enim haec inter cetera heredi, in certo fundo inſtituto, reliqua bona alodialia omnia, teſtamento haud expreſſa, inque alieno territorio ſita, ſecundum *l. 30. §. 1. ff. d. excuſat. & l. 141. §. 1. d. R. I.* diſpoſitionem. Meretur caſus, qui huic diſceptationi anſam dedit, paucis adici. v. K. in vltima ſua teſtatione ſequentem in modum diſpoſuerat. So viel nun meine Haabſeeligkeit / als dieſes Guth Neuaſebrück / und was an baarem Geld ſeyn wird / davon disponire ich folgender Geſtalt / daß nach meinem Todte dieſes Guth Herr von Buſch nach Art eines fideicommiſſes dergeſtalt beſitzen ſoll ꝛc. Eo poſtea mortuo plura adhuc alibi extabant bona allodialia, de quibus in teſtamento ne verbulo quidem cogitatum. Heredibus feudalibus ea interim occupantibus, liteque mota, iudex inferior reliqua bona alodialia diſpoſitione non expreſſa actori adiudicauit, quae, poſtquam cauſa appellatione interpoſita ad Imperiale Iudicium deuolueretur, hisce verbis confirmata eſt: Daß Beklagter und Appellant nunmehro nicht allein zu Abtrettung der eingeklagten bey dem Münchs-Hoff befindlichen allodial Stücke, mit denen Nutzungen nach vorhergehender liquidation pure zu condemniren / ſondern auch ꝛc. Videtur tamen quicquam a recepta iuris Ciuilis regula in verbis STATVTI COLONIENSIS *d an 1437.* latitare, ita enim *art. 5.* Aber wäre es Sach / daß jemand ſein *Teſtament*, Vermächtniß / Gifft oder Auff Tracht

allein fahrende Haab antreffende von ſein ſelbſt freyen Willen in das Schrein gelegt oder geſchrieben haben wolte / den ſoll man das nicht wägern ꝛc. & dum rerum mobilium per teſtamentum translatarum iniicit mentionem, crederes, partiariam ibidem teſtamenti factionem ſtabiliri. Sed de genuino legis ſenſu videant alii. In IVRE CIVICO AQVISGRANENSI expreſſa lege introductum, poſſe aliquem de bonis duntaxat mobilibus, quæ Gereidt vocant, nouiſſimam ſuam voluntatem conficere, ſicque contra *l. 7. ff. d. R. I.* ab initio ſuo facto pro parte teſtatum decedere; ita vt reliqua bona teſtatoris immobilia, & alia quaedam mobilia, quæ vno ſub nomine Erb-Güther veniunt, intermiſſa, de his ſimul coram ſeptem Scabinis teſtatione vltima, quem actum *Realiſationem* vocant, ad heredes ab inteſtato deuoluantur. Diſpoſitionem ipſam qui deſiderat; CHRONICA eiusdem ciuitatis euoluat. Proinde certum euictumque habemus, elogium vltimum ſecundum ſolennia loci confectum vbiuis valere debere. HERT. *de Colliſ. LL. Sect. 4. §. 10. & 23.* Niſi ſtatuto loci vel lege quadam prouinciali facultas de bonis alodialibus ibi ſitis per teſtamentum alio loco confectum reſtricta, vel prorſus adempta ſit. & ita intelligendi ſunt SAND. *ad l. 7. ff. de reg. iur.* & SCHILT. *Exerc. ad ff. Ex. 38. §. 80.* quando aiunt in pluribus prouincus admitti, vt quis poſſit teſtatus pro parte, pro parte vero inteſtatus mori. Vid. omnino GAIL. *Lib. 2. Obſ. 129. n. 1. ſeqq.*

§. XXII.

Aditionis effect: relative

Tranſire defuncti iura, ſiue *activa* ſiue *paſſiva*, in heredem, quorum natales ex conuentione deriuandi ſupra monui-

mominimus, nec Germanorum ab his principiis abludit Iurisprudentia, quae ex fonte iusti vniuersalis profluunt. Superfluum ergo esset conquirere legum Germanicarum copiam, quibus iuris ciuilis naturalisque regula repetita deprehenditur. Duo notabimus ciuili iuri incognita. Primum suggerit successio feudalis. Ea enim est feudi natura, vt licet hodie sit in patrimonio dominioue, sed restricta & directi dominii effectibus limitata, non aliam tamen admittat succedendi rationem, nisi pactitiam & singularem. Non ergo Vasallus succedens facto antecessoris, aut aere alieno obligatur, nisi ipse consenserit, vel debitum iuris dispositione ad onera feudalia pertineat. In Marchia ita cautum est: daß ein Agnatus, wann zu Vergnügung eines abgefundenen Bruders / Ausstattung einer Schwester oder Tochter/Bestellung des Reß-Dienstes Schulden gemacht / seinen consens zu geben schuldig sey/ oder er kan cum causae cognitione pro consentiente erklähret werden/vid. REC. MARCH. *d. A. 1653. §. 32.* Eadem iuris feudalis Germanici regula obtinet, siue iure agnationis, siue simultanea inuestitura nitatur successor. Notissima est hanc in rem LONGOBARDICA DISPOSITIO *II. F. 45.* Sed quae maxime huc spectant, duae ab hac doctrina occurrunt exceptiones, altera, quod legibus beneficiariis quarundam Prouinciarum Germanicarum *feuda aeri alieno in subsidium* subiciantur, altera, quod de filio patri successuro in allegato textu habetur, vnde axioma conficitur tritum vsu fori & praxi comprobatum, *filium feudum absque allodio retinere non posse. 2. Feud. c. 51. §. 4.* In filio ergo, quem pietas erga patrem arctius obligat, nulla iurium diuersitas; ast agnatum non simul aditione heredem factum natura successionis singularis ab

commemoratur.

Vasallus succedens facto antecessoris praestare non tenetur.

Exceptio I.

Exceptio II.

obligatione hereditaria liberat v. CARPZ. *P. II. Conſt. 46. def. 4.* STRVV. *Syntagm. I. F. c. 14. §. 28.* LEYSERVS *de Feud. Brunſuic. p. 36.* Alterum, quod commemoratione dignum ſuggerit obligationum Cambialium vſus noſtra aetate non ſolum in Emporiis, ſed & Prouinciis Germaniae compluribus frequens, nobisque diſquirendi anſam praebet, quatenus heredem poſt aditionem obſtringat? Equidem quod ad ipſam rem, quae Cambio promiſſa eſt, non dubium, quin illam heres praeſtare cogatur; nec proceſſus executiui effectus cuiuis chirographo liquido & clauſulis executiuis, mit oder ohne Recht vel ſimilibus verbis, vallato, vſu Germaniae plerumque proprius, in herede ceſſat, liquidamque contra heredem probationem conſtituit. Sed haec non in quaeſtionem veniunt. In eo potius cardo negotii vertitur, an ex cambio in ipſam heredis perſonam executio areſto perſonali impoſito fieri queat? Negant hoc plerique ex ICtis, ob duriſſimum & a iuris Communis ratione prorſus abhorrentem Iuris cambialis rigorem, quo heredem innocentem conſtringere ab aequitate videtur alienum v. Illuſtr. BERGERI *Electa Proc. Execut. §. 50.* Ita legitur in *Append.* ORD. PROCESS. *Recogn. Elect. Sax. §. 12.* Wie aber ſolches alles nur von den Schuldner ſelbſt zu verſtehen / alſo hat wieder deſſen Erben der Perſonal Arreſt nicht ſtat / obwohl im übrigen der Wechſelbrieff auch auf ſelbige / als ein Documentum guarentigiatum ſeine Krafft und Gültigkeit behält. Et ne deſit exemplum legislationis, quae contrariam ſententiam tuetur adiiciemus ſequentia ex ORD. CAMB. MAGD. *art 6* Und auf gleiche Weiſſe ſind der Wechſel debitorum heredes dem Perſonal Arreſt gleich ihren Eltern und Erb-

An ob defuncti cambium impoſitio perſonalis arreſti in herede locum habeat?

Erblaßern unterworffen; es mag auch ihnen der sonst gewöhnliche actus deliberandi nicht zu statten kommen/ es wäre den/ daß sie mediante inuentario oder iurata specificatione, die gantze Erbschafft so fort abtretten/ und bonis crediren würden/ auf welchen Fall sie des Arrests erlassen/ und de propriis etwas zu bezahlen nicht angestrenget werden sollen.

§. XXIII.

Iure Francofurt. hereditas non adita non transmittitur.

Cum supra de suitatis effectibus tractaremus, transmittendae quoque hereditatis mentio iniecta fuit. Nunc ad finem dissertationis properantibus commodum videtur recordari vulgaris axiomatis, quo hereditas non adita non transmitti dicitur. Confirmat hanc iuris Ciuilis sententiam REFORM FRANCOF. *P. VI. Tit. 1. §. 4.* in verbis: So ist es auch mit ihnen den Erben selber dran/ wenn sie solches fördern. thun/ dieweil in Rechten eine gemeine Regel ist/ quod non adita hereditas non transmittatur; das ist/ wann derjenige/ dem ein Erbfall aufferstorben/ denselben nicht hat angenommen/ sondern verläst/ und darunter verstirbt/ daß er solche Erbschafft auf andere (es wären denn seine leibliche Kinder und wenn die Erbschafft von derselben Anherrn herrühret) nicht transmittiren noch bringen kan. Quod vti vsum transmissionis hereditariae adstruit, ita non possumus, quin notemus breuiter errorem, quem ex Ctis Saxonicis quidam sequuntur. Placet rem verbis Illustris BERGERI, quibus vsus est in *Dp. de Transm Hered. §. 2.*, exprimere. Ita vero ille: *in foro Saxonum hereditatem* inquit, *quantumuis non aditam semper transmitti* COLERVS *vult.*

I. decis. 202. n. 6. & decis. 68. n. 13. eo, quod aditionem hereditatis non requiri, putet. Quam etiam sententiam non semel iudicando receptam tradit RICHTERVS *I. Decis. 67. n. 26. Sed primo probandum erat Colero, quod supponit, quasi Saxones aditionis vsu se abdicauerint; Nunc cum iubente etiam natura aditio facti sit, & Colerus formandae rationi allatae non afferat textum, quid est, quod hac parte a iure ciuili recessum arbitremur? Praeiudicia, quae apud Richterum extant, euincunt quod tunc ita placuerit respondere non item hoc, quod aut non possit, aut non debuerit iuxta iuris Romani scita pronunciari. Quemadmodum & Responsum, quod Colerus affert, satente ipsomet datum est in casu, quo testamentum clausulam habeat Codicillarem quae efficit, vt hereditas iure fideicommissi, non transmissionis transeat.*

§. XXIV.

De Decima hereditatis inte Patrio exsoluenda.

Vltimam huic dissertationi adhibentes manum pauca de Decima hereditatis commemoratione haud indigna in medium proferemus. Eiusdem quae fuerit ratio apud Quirites primum videamus. Diximus supra Augustum Imper. laborasse de Fisco ditando hereditatibus eorum, qui ante apertas tabulas defecerant. Sed alia erat Vicesimae Constitutio, eadem licet lege Iulia Fisci locupletandi causa ab eodem Imperatore inuenta. Pendi illud vectigal debebat hereditarium ab omnibus pene hereditatibus siue ab intestato siue ex testamento delatis. Antonini Caracallae Imperatoris in milites liberalitas successu temporis effecit, vt incrementum acciperet haec fiscalis accessio inque Decimam partis mutata fuerit. Denique obtinuit vt illa non tantum de hereditatibus, verum & de

de legatis aliisque donationibus deduceretur. Et licet omnes ab initio huic detractationi subiacerent hereditates, idem Imperator ab ea inopes heredes domesticos, subsequentes vero Augusti Patres & Matres, Fratres ac sorores, Auum & Auiam, Nepotes, ac Neptes, immunes praestauere, in iis solum bonis, quae sanguine, gentilitate, sacrorum societate, meruissent. Plura huc facientia ex antiquitatum scriniis conquirere, variasque annotare per tempora mutationes non vacat. Vide interim SCHULT. *Iurispr. Anteiust. pag. 400.* Sed quid haec ad Patria Iura? Rem omnino deprehendimus licet modo & ratione ab institutis Romanorum distinctam. Quid enim aliud Gabella, [originem huius vocis v. in Append. Num. I.] quam soluunt hinc inde heredes extranei. Sic in REFORMATIONE FRANCOFVRTENSI *P. VI. tit. 6.* Decima haec ab hereditatibus ciuium extraneis delatis pendi solet, quo loco nequidem heredes sui extra Ciuitatem domicilium constituentes huius Gabellae onere leuantur, non attenta personarum vnitate, nec quod filius post patris obitum hereditatem haud percipere, sed magis bonorum administrationem liberam, sicque quodammodo suum consequi, patrimoniumque potius retinere, quam acquirere, ac hereditatem sibi debitam exspectare videatur. Vlterius liquet, quod nec personae alias immunitate a Detractu Emigrationis e. g. Ministri Principum, Clerici, Professores, Doctores. Studiosi, gaudentes, a Decima nostra sese liberare valeant. Tam late enim concepta sunt nostri Priuilegii verba. Nec minus ab hoc vectigali statutario vacui sunt qui decem liberos habent *l. 24 C. de Decur.* licet alias vacatione ab omnibus oneribus fruantur BOCER, *de Collect. c. II. n. 5.* Vnica tamen in Lege Pa-

Patria occurrit exceptio, quando ſcilicet extraneus in Ciuitate domicilium ſigere velit, quo caſu diſſertis verbis *l. c. §. 3.* ita ſcriptum: Daß da derſelbig Ausländiſch ſolche Güther ſelbſt beziehen / ſich hierin in Unſer Statt thun und die Bürgerſchafft annehmen wolle / ihme auch auf ſein Begehren dieſelbig alſo von Uns vergünſtiget würde: So ſoll er bey ſolchen Gütern / wie andre Bürger ruhig gelaſſen werden; Et in §. 4. eod. ita pergit: Da aber ſeine Gelegenheit nicht ſeyn würde / ſolche Güther ſelbſt zu beziehen / noch die Bürgerſchafft bey uns annehmen / So ſoll es aldann mit den Güthern inmaßen obſtehet gehalten werden. Es verkauffe auch der Ausländiſche ſolche Güther ꝛc.; So iſt alle Wege uns der Zehende Pfennig [deducto tamen aere alieno *l. 39. §. 1. ff. d. V. S.*] vermög habender Priuilegien [vid. Appendicem Num. II.] verfallen / welchen ſie die Ausländiſchen gleichergeſtalt auch von aller fahrenden Haab / ſo ſie in dieſer Stadt ererbet [quae verba non tantum de locali rerum mobilium, vt loquuntur, praeſentia, verum & de omnibus alibi extantibus intelligenda ſunt] und abführen / zu entrichten ſchuldig ſeyndt. Quod cum ita ſit, de nominibus alibi poſitis quin quoque detractationi huic ſubiaceant, nullum reſtat dubium, quippe quae in REF. FRANC. *P. II. tit. 3. §. 5.* expreſſa ad mobilia referuntur. In his vero vbicunque ſita ſunt, ad iura domicilii ratione detractus quoque reſpiciendum eſſe, recte Iurisconſulti apud ESBACHIVM ad CARPZ. *P. 3. c. 38. def. 19. n. 10.* aſſerunt. Vti igitur olim in Fiſci aliorumque quorum intererat fauorem cautum, vt tabulae intra triduum vel quinque dies aperirentur vectigalque illud hereditarium ſolueretur; ita quoque in vrbe

Imper.

Imper. Francof. heredibus extraneis certum tempus praefinitum, intra quod res hereditariae immobiles, ne fraus fieret Fisci emolumentis, vendi debeant: Ita enim *l. c. §. 1.* Da ſie aber in demſelben Jahr ſolche Güther nützlich über angewendeten Fleiß nicht verkauffen könten / und ſie uns deßen gläublich berichten / ſo ſoll auch das zweyte Jahr ihnen darzu vergünſtiget werden. Ne vero in infinitum ab extraneis heredibus proteletur venditio, ſuſpicione fraudis animadverſa, ſub haſta demum bona hereditaria iuſſu Magiſtratus venum exponuntur, pretiumue heredi, deducta parte decima reſtituitur; quod verba *l. c. §. 2.* ita eloquuntur: Doch da dieſelben Ausländiſche hierinnen Gefährde brauchen / ſolche Güther überſehen und um billigen Werth / wenn ſchon Kauffer vorhanden / inwendig der obbeſtimmten Zeit der zweyer Jahren nicht hinlaßen / ſondern vortheiliger weiße / in ihrem Poßeß / Nutz und Gebrauch darüber behalten wolten: ſo ſoll uns dem Rath alsdenn bevorſtehen / ſolche Güther öffentlich von Obrigkeit wegen / zu feylem Kauff anzuſchlagen / und um rechtmäßigen gebührlichen Werth dieſelben zu verkauffen: Non incongruum eſt, his diſpoſitionem IVR. HAMBVRG. annectere vbi *P. III. tit. 3. art. 19.* eadem ferme referuntur. Waßerley Erbguth in dieſer Stadt von Bürgern oder Einwohnern verſtirbt auff Leute / die alhier keine Bürger ſeyn / die ſollen aus des Verſtorbenen Guths / den 10. Pfennig dieſer Stadt entrichten. Wolte aber der fremde Mann / den Erb-Guth in dieſer Stadt angefallen / innerhalb Jahres nach beſchehener Theilung / in dieſer Stadt ſein Haußliche Wohnung anſtellen / und die Zeit ſeines Lebens mit dem angefallenen Erb-Guth

wohnen bleiben / und ſolches genugſahm verſichern / der ſoll den 10. Pfennig von den ihm angeerbten Guth zu geben nicht verpflichtet ſeyn. Viget quoque ius Detractionis ab hereditate in Ducatu Magdeb. vid. MAGD. POLICEY-Ordn c. 56. §. 3. Et in Marchia Brandenb. liberi extra ciuitatem viuentes quindenam relicti patrimonii partem Magiſtratui pendere tenentur, vti refert SCHEPLITZ *ad Conſuet. Brand.* Idem in Principatu Anhaltino, Palatinatu, Epiſcopatu Bambergenſi, & Ducatu Würtenbergico obtinet. Nec ratione ius patrium deſtituitur. Incumbit cuilibet Reipublicae prouidere, ne ciuium facultatibus, exportatis hereditatibus, neruis velut ſuis deſtituatur. Sicuti ergo patrimonia priuatorum a patrimonio velut Reipublicae, inſtituris heredibus extraneis, diuellantur: aequum omnino eſt ac iuri naturali conſentaneum, vt detractionem aliquam foreuſes patiantur. Rationes pro negatiua a LEYSERO *Sp. 430.* adductae & ad Detractum emigrationis praecipue ſpectantes, noſtram ſententiam haud ſtringunt. De iure Ciuili antiquo res expedita eſt, cuius abrogatio in *L. vlt. Cod. d. Edict.* D. *Hadr. toll.* occurrit. Iure codicis ſimile quid, in certo quantumuis caſu, conſtitutum fuiſſe ex *l. 1. & tot. tit. C. quando & quibus quarta pars &c.* patet. Denique Legibus Publicis validitas eius conſuetudinis confirmatur v. REC. IMP. *de anno 1549.* §. und ſo viel *& Receſſ. de anno 1551.* §. wo aber conf. MEVIVS *ad* IVS LVBEC. *P. II. tit. 2. art. 4.* Durior vero prorſus videtur inueterata illa apud Gallos conſuetudo, qua Fiscus Regius contra *Auth. Omnes Peregr. C. Commun. Succeſſ.* denatorum peregrinorum bona, ex notiſſimo illo Albinatus Iure, excluſis omnibus heredibus exteris, occupat v. GOTH. *ad l. 7. de*

capt.

capt. & poſt. KLOCK. *I. conſ. 29. n. 871.* Sed plura, quae rem illuſtrant colligere non vacat. Hic ergo pedem figimus his obſeruationibus contenti, quas vt LECTORES BENEVOLI leni & aequo iudicio admiſſuri ſint, ſperamus.

APPENDIX

Num. I.

De origine vocis Gabellae.

NOn inconueniens erit, quaedam de eiusmodi vocis origine hic ſubiicere. *Gabellam* idem eſſe, tam quoad originem, quam notionem, ac *Gablum*, ait *du* FRESNE in *Gloſſ. Scriptor. Med. & Inf. Latin. Gablum* vero ſignificare cenſum, tributum. Huius vocis Etymon ex Saxonico ȝaꝑol vel ȝaꝑel depromſit, idque ex hebraeo *Gab* eiusdem ſignificationis deſcendere, ſubiecit. Hodie ſupereſſe videtur in Compoſito Gafel-Recht/ quod ius vectigalis exequendi denotat. Paulo aliter huius vocis originem deſignat Vir Cl. WACHTERVS cum honore mihi nominandus in *Gloſſario Germanico* opere praeſtantiſſimo ſub voce *Gabel*, cuius verba integra merentur, vt hic adiiciantur: ita enim ILLE *c. l.* diſſerit: *Gabel tributum & quaeuis exactio ſummae poteſtatis, quae cum antiquitus minutatim fere pendebatur, dicta eſt Gabel a Gabe donum quaſi paruum munusculum. Nam L. finale diminutiui nota eſt, vt ſaepe alias. Poſtea vox ad omnes reditus & ſolutiones extenſa eſt, praecipue apud Angloſaxones, quibus Gaſol Gafel eſt tributum, cenſus.* Alii inde arceſſunt Gablum Gabellam, cuiusmodi ſunt Gabella ſalis, Gabella vini, & huius loci Gabella hereditatis. Num.

Num. II.

Keyſer Maximiliani des Andern Privilegium/ über die Nachſteuer und Zehenden Pfennig vor dem Abzug.

WIR Maximilian der Ander von GOttes Gnaden/ Erwelter Römiſcher Keyſer / zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/ in Germanien / zu Vngern / Behem / Dalmatien / Croatien und Schlauonien ꝛc. König: Ertzhertzog zu Oſterreich / Hertzog zu Burgundt / zu Brabant / zu Steyr / zu Kayrnten / zu Krain / zu Lützemburg / zu Würtemberg / Ober vnd Nieder Schleſien / Fürſt zu Schwaben / Marggrafe des Heiligen Römiſchen Reichs / zu Burggau / zu Märhren / Ober vnd Nieder Laußnitz / Gefürſteter Grafe zu Habſpurg / zu Tyrol / zu Pfirdt / zu Kyburg vnd zu Görtz ꝛc. Landtgrafe in Elſaß / Herr auf der Windiſchen Marckt ꝛc. zu Portenaw vnd Salins ꝛc. Bekennen öffentlich mit dieſem Brieff / vnd thun kundt allermänniglich / daß uns die Ehrſamen unſere vnd des Reichs Lieben Getreuen N. Burgermeiſter vnd Rath der Stadt Franckfurt am Mayn / vnderthenigklich zu erkennen gegeben / welchermaßen ſie durch daß verſchinen zwey vndfunfzigſten Jahres erlitten gantz unverſchuldene ſchwere Belegerung vnd andere vielfältig zugeſtandene vnglückliche Zuſtendt / derogleichen auch ihres Nothürfftigen Bawens / zur Befeſtigung der Statt vnd anderer

anderer vnvffhörlichen vberſchwengklichen Außgaben halben / in mercklichen Schuldenlaſt gerathen waren: Dieweil ſie ſich aber ſchuldig erkennen/ vff alle mögliche vnnd zimbliche Weeg vnnd Mittel/ wie ehegedachte Statt Franckfurt mit der Zeit ſolches Luſts wiederumb/ſo viel möglich/erleichtert werden mögte/zu gedencken/vnnd ſich dann vielfältiglich begibt/ daß Frembde Außländiſche Perſonen ſich in gedachter Statt Franckfurt heußlich nieder ließen / die Bürgerſchafft annehmen / etwo daſelbſt ein Stattliche Nahrung eroberten / vnnd ererbten / volgends aber ſonder Eheliche Leibes-Erben mit Tod abgienge/ daß alsdenn ihre Außländiſche Bluts-Verwanndten deroſelben nachgelaßenen Erbſchafftē gäntzlich zu ſich zögen / die liegenden Güther verkauffen / vnnd das erlöſt Geld ſonder einigen Abgangk aus obgedachter Statt in ihre Gewarſame vnter Frembde Herrſchafften führeten / da doch billig wäre / das von ſolchen Erbſchafften dem gemeinen Nutz des Orths / da ſolche Güther erobert vnnd erworben worden / auch etwas zu gutem kommen ſolte / vnnd Vnß darauff demüthiglich angeruffen vnnd gebethen / das wir als Regierender Römiſcher Kayſer in Erwegung oberzehlter / auch anderer mehr Vrſachen / vnd ſonderlich zu Erleutherung / vnnd Wiederergetzung vorangeregter zugeſtandener Beſchwerungen und Schäden / ſie Burgermeiſter und Rath der Stadt Franckfurt dahin zufürſehen vnnd zu befreyen / genediglich geruhten / damit ſie in ſolchen Fallen / da zuvor / und biß dahero die Erbſchafften lediglich auß obgemelder Stadt Franckfurt an frembde Orth gefallen / desgleichen auch den außziehenden Bürgern daſelbſten alles ihr vermögen

lediglich gefolget / nun hinfür von den Bürgern / ſo ihr Burgerrecht ander Abweſenden Endts begeben / vnnd an ander Orth auß der Statt Franckfurt verruckhen / deſſelbengleichen von den Außländiſchen / welche etwas in der Stadt Franckf. oder deroſelben in andere Herrſchafften u. Gebieth abführen / allwegen den Zehenſten Pfenning zur Nachſteuer nehmen vnnd inn behalten mögten / deß haben wir angeſehen ſolch ihr demüthig ziemlich Pitt / auch die angenehmen Getrewen nützlichen vnnd erſprießlichen Dienſt / ſo ihre Vordern / Weylandt Vnſere Vorfahren am Reich Röm. Kayſ. und Königen / auch ſie ſelbſt Vnß vnnd dem Heiligen Reich in mannigfaltige Wege / offt willig vnnd unverdroſſenlich erzeigt / und bewieſen haben / vnnd ſich hinfüro noch ferner zu thun gehorſamlichen erbiethen / auch wol thun mögen / vnnd ſollen: Vnnd darumb auß oberzehlten Vrſachen / vnnd damit offtgedachter Statt Franckenfurt zu deſto beſſern Auffnehmen / vnnd Würden geholffen werden / mit Wohlbedachten Muth / guetem Rath / vnnd rechter Wiſſen / denſelben güediglich zugelaßen vnnd bewilliget / thun das auch bewilligen vnnd laſſen ihnen zu vnnd geben ihnen alſo von newen dieſe Freyheit / Gnad vnnd Privilegium hiemit / vnnd in Crafft dieſes Brieffs / aus Keyſerlicher Macht Vollkommenheit / alſo / daß ſie vnnd ihre Nachkommen nun hinfüro von allen und jeden Bürgern Mann vnnd Weibs-Perſonen / Wittiben vnnd Burgers Kindern / ſo aus der Burgerſchafft bey Zeit u. Leben ihrer Elttern / oder nach deren Todt / auß der Statt ehelichen verheurath / oder ſonſten ihren Burgerlichen Anſatz an andere Orth verrucken werden / oder denen Außländiſchen / ſo etwas in der

Statt

Statt oder derſelben Landtgewehr ererben / vnnd mit ſich an andere Orth bringen vnnd führen / gar niemand ausgenommen nun hinführo ewiglich von allen vnnd jeden deroſelben Baarſchafften / Haaben vnnd Güthern welcherley die ſeyn möchten / ſo ſie alſo / wie obſtehet / auß der Statt vnder Frembde Herrſchafften vnnd Gebieth führen / allwegen den Zehenden Pfennig / nach gleichmäſſigem Anſchlag / zu Abzug vnnd Nachſteuer heben vnnd nehmen ſollen vnnd mögen / die auch ein jeder Burger vnnd Innwohner der Statt Franckfurt / es ſey Mann oder Frawenperſon / Wittiben vnnd andere / ſo gemelten von Franckfurt / ohne daß Steurpar / vnd ſich mit ihrer Wohnung an andere Orth begeben / deßgleichen deroſelben Kinder / ſo wie obgemelt / auſſer der Statt verheyrat / vnd was ihnen zur Eheſteuer oder Erbfall von ihren Eltern / als burgerlichen Gütern / es ſey liegendt / vahrendt / beweglich / oder vnbeweglich zu geben / auch die Außländer / ſo etwas in der Statt ererben / und mit ſich an andere Ort nehmen werden / von ſolchen ihren burgerlichen / vnd anderen Güetern zu erlegen / vnd zu bezahlen ſchuldig ſein ſollen / ſonder alle Gevehrde / Einrede oder Verhinderung / vnd gebieten darauf allen vnd iegklichen Churfürſten / Fürſten / Geiſtlichen vnd Weltlichen Praelaten / Grafen / Freyen / Herrn / Rittern / Knechten / Hauptleuten / Landvögten / Vitzdomben / Vogten / Pflegern / Verweſern / Ambtleuten / Schultheiſen / Burgemeiſtern / Richtern / Räthen / Bürgern / Gemeinden / vnd ſonſt allen andern vnſern vnd deß Reichs Vnderthanen vnd Getreuen / in was Würdten / Stand oder Weſens die ſeindt / vnd ſonderlich allen denjenigen / ſo obgemelte vn-

sere Begnadung / der Nachstewer halben berüren möchte / ernstlich vnd vestigklich mit diesem Briefe / vnd wollen / daß sie genannte Burgermeister vnd Rath der Statt Franckfurt / vnd ihre Nachkommen / an solcher unser Kayserlichen Genadt vnd Freyheit nicht irren oder verhindern / noch sich die bemelte Nachstewer vnd Abzug zu geben / sperren oder verwiedern / sonder die ohne alle Waigerung / gehorsamlich erlegen / vnd die gedachten von Franckfurt dieselben entpfahen / deren gerubiglich gebrauchen / geniessen / vnd gentlich dabey bleiben lassen / vnd hierwider nicht thun / noch zuthun gestatten / als lieb einem jeden sey / Unser vnd deß Reichs schwere Vngnadt vnd Straff / vnd darzu ein Peen nemblichen funfftzig Marck löttiges Golts zu vermeiden / die ein jeder so offt er freuentlich hierwieder thäte / vnß halb in unser vnd des Reichs Cammer / vnd den andern halben theil gedachten Burgermeister vnd Rath der Statt Franckfurt vnd ihren Nachkommen / so hierwieder beleidiget würden / vnabläßig zu bezahlen verfallen sein solle / doch vnß vnd dem Heyligen Reich an vnsern vnd sonst menniglich in andere Weeg an seinen Rechten vñ Gerechtigkeitten vnuergreifflich vnd vnschedlich / Mit Urkundt diß Brieffs besiegelt mit vnserm Kayserlichen anhangenden Insiegel / Geben in Vnser vnd deß Reichs Statt Speyer / den fünfften Tag deß Monaths Septembris / nach Christi vnsers lieben Herrn Geburt funffzehen hundert vnd im siebentzigsten vnserer Reiche des Römischen in achten / deß Hungarischen im siebenden / vnd deß Böhmischen im Zwenvndzwantzigsten Jahren.

Num. III.

Num. III.

Vertrag zwiſchen Maynz und Franckfurt / den Abzug und zehenden Pfennig betreffend: des Inhalts / daß die Maynziſche auch der Herrſchafft Königſtein Unterthane mögen frey / jedoch die Leibeigenſchafft ausgeſchieden / zu Franckfurth: Wie auch hingegen alle Franckfurthiſche Bürger und Underthane auff dem Landt in des Ertzſtiffts Maynz / und Herſchafft Königſtein uff und abziehen / auch angefallene Erbſchafften abführen.

WIr Wolfgang von GOttes Gnaden / des heiligen Stuhls zu Maynz Ertz-Biſchoff / des Heiligen Römiſchen Reichs durch Germanien Ertz-Cantzler und Chur-Fürſt ꝛc. Und wir Burgemeiſter und Rath des Heiligen Reichs Stadt Franckfurt / bekennen und thun kundt hiermit. Als ſich ein zeithero zwiſchen vnſern beyderſeits zugewandten Bürgern und Unterthanen / wegen der Nachſtewrung oder Abnehmung des Zehenden Pfennigs allerhand Beſchwerung erregt und zugetragen. Dahero wir zu Fortpflantzung und Erhaltung guter Nachbarlicher Beywohnung nicht vor vnrathſam ermeſſen / darunter ein Nachbahrliche Vergleichung zu treffen / daß wir uns demnach unſer beyderſeits Unterthanen und Bürgern zu gutem dahin Nachbahrlich vereinbahret und verglichen haben / nemblich wenn künfftiglich über kurtz oder lang einer unſer des Ertzbiſchoffen Underthan oder

Bürger aus Unſerm Ertzſtiefft oder Herrſchafft Königſtein ſich in des Heiligen Reichs Stadt Franckfurth oder Dero angehörige Flecken und Gebieth auff dem Land / und hergegen unſere des Raths zu Franckfurth Bürgere und Unterthanen / ſich in Unſern / des Ertz-Biſchoffen zu Maintz Ertzſtiefft und Herrſchafft Königſtein (auff zuvor erlangte jedes Orts Herrſchafft Bewilligung / ſo viel den Einzug betreffend) häußlich nieder ſchlagen und ſetzen / oder aber auch einer Unſer des Ertzbiſchoffen Unterthan oder Bürger unter uns / dem Rath zu Franckfurdt / und in unſerm Gebieth / oder hergegen unſere des Raths Bürger und Unterthanen / in unſer Ertzbiſchoffen Wolffgang Ertzſtifft und Herrſchafft Königſtein jegtwas ererben würden / daß ſolchen aus- und abziehenden Bürgern und Unterthanen ihre Gütter und Nahrung / auch die angefallene Erbſchafften / ohne Beſchlahung und Abnehmung der Nachſteuer oder Zehenden Pfenniges frey gefolget werden / und alſo nun Fürbaß in obgeſetzten beyden Fällen (doch in allewez die Leibeigenſchafft außbehalten / welche ſeine ſonder Maaß hat / und in dieſer Vergleichung nicht mit eingezogen oder begriffen iſt) durchaus ein Nachbarliche Gleichheit ſeyn und gehalten werden ſoll. Deſſen zu Urkundt und Beſtättigung haben Wir Ertzbiſchoff Wolfgang Churfürſt ꝛc. Auch wir Burgermeiſter und Rath des Heil. Reichs Stadt Franckfurth unſer Inſigel für uns und unſern Ertzſtiefft und Nachkommen zue End hieran gehangen. So geſchehen iſt uff Donnerſtag den erſten Januarii Anno Domini Milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE PRAECLARE DOCTO

DN. CANDIDATO

S. P. D.

SIMULQVE

SVPREMOS HONORES ACADEMICOS,

QVOS

PRAECLARA DOCTRINA SVO MERITO

AMBIT,

IMPENSE GRATVLATVR

D. IO. FRIED. KAYSER,

ANTECESSOR ET ORDIN. SVI H. T. DECANVS.

VEre non minus quam ſcite & eleganter GREG. NAZIANZENVS in oda quadam hiſtoriam συμφέρων σοφίαν vocat, quae varios fructus per omnem vitam & in quocunque hominum ſtatu profert, maxime in ciuili philoſophia, in qua plus praeſtant exempla ex hiſtoria depromta, quam praecepta philoſophorum. Vnde hiſtoriam ipſa philoſophia ciuili non inferiorem eſſe, AGA-

THIAS *in Proœm. Lib. I. de bello Goth.* probat. Ac in morali diſciplina, plus exempla prodeſſe quam praecepta vitae, nemo eſt, qui ambigit. Quid enim aliud eſt hiſtoria, niſi virtutum vitiorumque diligens & perſpicua demonſtratio, lux veritatis, & vt TVLLIVS loquitur, vita memoriae & magiſtra vitae. Itaque cum quis ad fortitudinem, moderationem, iuſtitiam inſtituitur, eum longe felicius clariſſimis Deciorum, Fabiorum & Camilli documentis, quam Socratis ratione vſurum, non ſine ratione ſtatuunt. Nam Philoſophi, quid agere homines oporteat, hiſtorici, quid praeclare geſſerint, docent. Igitur, niſi philoſophorum praecepta hiſtoriarum exemplis comprobentur, nae, inanes illae ſententiae commeditiaeque doctrinae videntur. Non minorem autem fructum & vtilitatem in Iurisprudentia, quam in aliis diſciplinis hiſtoria praeſtat. Nam licet ipſa per ſe ſua Maieſtate & proprio nitore praefulgeat, nihilo ſecius tamen hiſtoriarum lumen efficit, vt eo dilucidius in intimiora eius penetralia inſpicere liceat, ipſaque adeo longe blandius menti noſtrae ſe inſinuet, & ſua velut ſponte illabatur. Vnde qui Iurisprudentiam noſtram cum Matrona in publicum procedente comparant, illi eam ſine comitatu hiſtoriae minus honeſte procedere ſtatuunt. Atque illud etiam omni aeuo exemplo ſuo teſtatum reliquerunt Celeberrimi Iuris Antiſtites, JACOBVS CVIACIVS, vterque GOTHOFREDVS, & plerique omnes elegantiores ICti, qui ex vita Legislatoris, ſtatu reipl. aliisque occaſionibus hiſtoricis ſaepe difficillimas leges quam feliciſſime illuſtrarunt, & velut novum lumen eis appoſuerunt. Nemo autem de ſtudio iurisprudentiae cum hiſtoria coniungendo grauius praecepta dedit,

dedit, quam FRANCISCVS BALDVINVS. Is enim in *Praefat. ad Iurisprud. Mucian.* eam Iurisprudentiae cum Romana historia, & historiae cum Iurisprudentia Rom. perpetuam coniunctionem agnoscit, vt duas vnius velut corporis partes indiuisas esse putet; tamque indiuisas, vt qui eas diuidunt, vtramque corrumpere videantur, & iure iis responderi posse dicit, quod olim Cascelius respondit cuidam mercatori, nauem cum socio communem diuidere volenti. Cum enim multis annis, pergit, reuoluam illam eorum, quos Iustinianus nobis reliquit librorum συναγωγὴν, magis atque magis sentio, quandam illius, vt appellatur, corporis legitimi ἀνάλυσιν historicam inprimis vtilem fore: & cum multi multa disputent de ratione docendi discendique Iuris, nihil tamen agi video, nisi si fiat, quod apto. Quam rationem excolendae Iurisprudentiae postea fusius explicat. Cum vero Iurisprudentia, qua nos vtimur Germani, non tantum praeceptis Romanorum, sed propriis quoque institutis suis consistat, non minorem fere in ea recte tradenda & discenda vtilitatem praebet historia patria quam Romana. Quare debita laude merito prosequendi sunt ex nostratibus ICtis illi, qui Iurisprudentiam patriam cum Romana coniungentes, vnamquamque ex propriis suis fontibus deriuant, & sicut Romana ex Romanis; ita Germanorum instituta ex antiquitatibus Germanicis illustrant. TV vero Praestantissime Dn. Candidate eximiam omnino nauasti operam, quod pro Dissertatione inaugurali thema, vtriusque tam Romanae quam Teutonicae Iurisprudentiae, refertissimum, *de additione* sc. *hereditatis*, TIBI elegeris, in eoque excolendo

ita vtriuſque Iurisprudentiae limites exacte cuſtodiueris; vt quomodo Romana Romanis, Teutonica patriis principiis vindicanda ſint, hoc TVO publico, eoque eximio, documento demonſtrares. In quo cum praeclaram tuam eruditionem & in Iurisprudentiae ſtudio non vulgares profectus ſatis ſuperque demonſtratum dederis, non fallor, ſi TE aliquando genuinae Iurisprudentiae ſtatorem & iuſtitiae ſacerdotem incorruptum fore, TVO merito, auguror. Faxit D. O. M. vt hi honores Academici, quos hactenus modeſte ambiiſti, quique TE nunc propius expectant, fortunatiſſima ſint augurii mei initia, quae mox proſpera quaeque conſequantur.

Vale.

VIRO

PRAENOBILISSIMO CONSVLTISSIMOQVE

DOCTORATVS HONORVM

CANDIDATO DIGNISSIMO

IO. CASPARO GOETHE

S. ET OFF.

HENRICVS CHRISTIANVS SENCKENBERG.

NOn ſine inſigni voluptate, TE, IVRIS honorum CANDIDATE DIGNISSIME! Cathedram conſcendentem videbo, partim communium, partim mihi peculiarium cauſarum ergo. Commune hoc habeo cum aliis, dum Academiae noſtrae TE euenisſe gratulor, cuius Eruditionem honoribus ornaſſe, eique hoc paſto quaſi colophonem addidiſſe gloriae cedet, nosque eos praecipue eligere, qui honores merentur, in luce ponet. Peculiaria vero ſunt plura. Primum Tecum mihi eſt ius neceſſitudinis peculiaris, quem ciuem meum colo, quem Reipublicae patriae olim profuturum, quem ei decusalaturum

laturum noui; deinde floruit inter Parentes noſtros amicitia, in me Iure quaſi hereditario transſcripta; Ad haec, quod maxime me afficit, prima ſtudiorum Iuris tyrocinia ex me hauſiſti. Scio, haec non admodum ad TE pertinere, cum me Francouadum noſtrum cum domicilio Dhunenſi commutante, me longe meliores Lipſiae & alibi audiueris, cum ſtudiis egregie geſtis, quicquid Praxeos Iudiciariae eſt, in celeberrimo illo Themidos Germanicae domicilio Camera Imperiali Wetzflarienſi addideris. Ad me tamen ea ſpectant, & permittes, vt ex more eorum, qui egregii alicuius aedificii vel fundaminibus iaciendis adhibiti ſunt, eo ſurgente, eo perfecto, laetitiam diſſimulare vlterius nequeam. Hoc magis vero iure quaſi meo gaudeo, quo magis iam ei honores meritos ſimul conferre obtingit, cuius laetiſſima primordia olim ſpectare contigit. Scilicet, id ego tum augurabar, euaſurum aliquando TE in IureConſultum haud infimi nominis, nunc vero ſpei factus propior, denuo augurari non deſino. Differis in diſceptatione TVA Academica, *de hereditatis aditione*, & vel hic foetus TVVS, ſi nil aliud extaret, cunctos docere potuiſſet, mereri TE ſumma quaeque, & Themidi Sacrae inprimis charum eſſe. Multa in hacce materia ſingularia ſuppeditat IVS PATRIVM FRANCOFVRTENSE *Lib. VI. tit. 1.* cuius ſcita TV haud dubie vberius excuſſiſti. Mihi in praeſentia tantum id recolere liceat, (1) ſpatium deliberandi apud nos tantum bimeſtre in iis, qui praeſentes, extraneis autem quadrimeſtre ſtatui, (2) requiri tam in adeundo, quam repudiando declarationem iudicialem, (3) immiſſionem fieri praetoriam ore calamoque. Neutrum horum Iuri Romano

Romano conforme eſt. Primum ex libera voluntate, pro arbitrio Legislatorum ſtatuentium fluxit. Secundum rationem antiqui Germanorum Iuris ſapit, vbi integra alterius ſubſtantia, nec ſine iudiciali declaratione acquiri, nec delata ſine iudiciali actu recuſari poterat. Quae patrii Iuris placita cum iis quadantenus conueniunt, quae olim Romanis intuitu cretionum fuerunt obſeruata. Tertium iterum a Iure patrio eſt, atque immiſſionem iudicialem ſignat, omnibus immobilibus aut Vniuerſitatibus bonorum neceſſariam, de qua nos alibi ſatis diſſeruimus. Germanica ergo hic plurima, & ad vltimam traditionem iudicialem cernis, ſine qua nil fieri potuiſſe iudicabant maiores. Ore proferuntur tam verba addictionis, quod ſignant voces mit Mund/ adhibeturque ſymbolum traditae poſſeſſionis calamus ſiue ſtipula, notatum per verba: mit Halm. Cum ergo hic pleraque Germanica, dubitare quis poſſet, an ſaepiuscule commendata Inuentarii confectio, tanti adhuc vſus eſſe queat, vt ea neglecta, haeres in plus quam acceperit, etiamſi deſignationem iuratam edere paratus ſit, obligetur? mihi verba ſatis clara *d. tit. 1. §. 5.* id velle videntur; & habebit ſane quod ſibi imputet is, qui cautionem a Iure ſuppeditatam negligit, hacque ab onere Iuris communis ſe liberat. Vniuerſalis equidem Germaniae vſus quodammodo contrarium hic vult, qui tamen num ſtatuta noſtra hoc caſu ad Ius commune ſe referentia regat, mihi dubitationis multum alere videtur. TV de eo videris, cum ego quidem nunquam audiuerim, vltra vires patrimonii defuncti aliquem eſſe condemnatum. Mihi contra nil reſtat, quam vt egregio e Romano &

patrio Iure decerptò ſpecimimi, cuius priora folia luſtraui, ex animo applaudam, vt TVIS tantas dotes gratuler, vt patriae plures TVI ſimiles ciues votis decernam, vtque a DEO O. M. ſplendida quaeuis praemia egregiorum ſtudiorum ſeras precibus contendam, vt me TVAE amicitiae ac beneuolentiae de meliore commendem, eis vicem lubente redditurus animo. Dab. XV. Dec. clɔ ɔɔ ccxxxviii.

SPHAL-

SPHALMATA EXTANTIORA.

Cap. I.

Pag. 17. lin. 5. pro *intricatoribus* leg. *intricatioribus*
- 26. - 15. poſt verbum *adſcribi*, inſere: *locus*
- 28. - 6. pro *l. 134. de R. I.* pone *l. 124.*
- 30. - 13. - *quas* leg. *quia.*
- 32. - 23 - *bis* - *bi*
- 34. - 17 - *Apronianum* leg. *Apronianum*
- 36. - 21. - *aus* - *ant*
- 44. - 22. - *conſtitutus* - *inſtitutus*
- 51. lin. antepen. *in has* - *in hac*
- 52. - 12. pro *ſui* - *ſui*
- 54. - 10 - *docat* - *doceant*
- 56. - 21 - *conſectandis* - *conſectandis*
- 59. lin. antepen. pro *ſiſci* - *ſiſci*
- 62. - 7. - *ibidem* - *itidem*
- 63. in margine - *de præſcriptione*
- 66. lin. 26. pro *in* - *id*
- 71. - 15. - *privilegia* leg. *privilegia perſonalia*
- 72. - 16. - *l. 6 ff. de tut.* pone *l. 16.*
- 77. - 3. - *pœnas* leg. *pœna.*
- 80. - 17. - *habebit* - *habebat*
- 80. - 24. - *ſatisfiat* - *ſatisfaciat.*
- 84. - 5. - *indicio* - *indicio.*
- 84. - 23. - *nitatur* - *nitantur*
- 88. - 25. dele *cumque*
- 94. - 9. pro *C.* pone *Liber.*
- 98. - 13. - *iudicio* leg *iudicio.*
- 100. - 2. poſt. §. *16.* adde *de relig. & ſumt &c.*

Cap. II.

Pag. *123.* lin. *2.* poſt *non niſi* inſere: *adeundo*
- *125.* - *14.* pro *ſui* leg. *bi*
- *152.* - antepen. pro *Obſ. 129. n. 1.* leg. *Obſ. 124. n. 13.*